

FELICITAS PUBLICA

Ab inita auspicatissimi Conjugii societate
inter
ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
Dominum

STANISLAUM RZEWUSKI

In Olesk, Podhorce &c. &c. Comitem,
Chełmensem &c. Præfectum, Palatini Podoliæ
& Ducis Exercituum Poloniæ Filium,
ac
CELSISSIMAM PRINCIPEM

CAROLINAM CATHARINAM RADIVILIAM,

Palatini Vilnensis Exercituumquê Litvaniæ
Magni Ducis Filiam, Poloniæ & Litvaniæ
COMMUNIS,
ab obligata Magnis Nominibus Societate JESU
publicis gratulationibûs

EXCEPTA

Annô MDCCLIIX Idibûs Juniîs.

VILNÆ Typîs S. R. M. Academicîs
Societatis JESU.



DEDICATIO.

SPONSI FORTUNATISSIMI.

Cum ea sit mortalis vitæ istius conditio, ut nullum fere diem cuivis homini liceat exigere, quô illi molestiæ aliquid non accidat; tum verò, quemadmodum inter spinas nascuntur rosæ, ita inter calamitosos vitæ humanæ dies læti quandoq; soles oriri nobis solent, diemq; nulla mæroris nube aspersum, quin sereno etiam lætitiæ alicujus vultu conspicuum efficere: id quod nos tam proli-

 xè

xè hodie in nobismet ipſi experimur: quàm largè ex connubio veſtro fauſtiſſimo, lætitiîs perfuſi ſimus. Etenim cùm ita à natura conformati ſimus, ut in ſecundis rebus, & ad voluntatem noſtram fluentibus, omnes magnopere gaudeamus; tum in iis præſertim, quæ ad publicam felicitatem pertinent, non tantùm optimus quisq; atq; ſapientiſſimus, ſed omnes omnino homines majorem in modum lætari conſueverunt. Nemini itaq; mirum videri debet, ſi in iſta veſtra expectatiſſima omnibus conjunctione tantam hilaritatem omnia præſeferant, ut non homines ipſi tantùm, ſed ratione etiam ſenſuq; ac vitâ deſtitutæ res inuſitatâ lætitiâ, quaſi luce quadam, compleri videantur. Tanta eſt enim in conjugio veſtro celebritas, tanta Numinis providentia, atq; cum ea rerum noſtrarum conſenſio, ut tum de præſenti felicitate inter nos gratulemur, tum complura hinc nobis polliceamur bona naſcitura. Lætitia quippe iſta tam magna eſt, ut ipſa ſe planè non capiat, nec ullîs limitibûs contineri queat, & pectoris latebras dedignata in publicum erumpat; non enim exultandi

modum

modum inveniunt, qui non mediocribûs bonîs exultant. Quód ſi verò vel ex ipſo cujusq́; vultu luculentiſſima exiſtant hilaritatis ſummæ indicia, & ſi quo pacto ad noſtros animos aditus aliquis pateret; conſtaret profectò, nos non commune tantùm cum aliis gaudium gaudere, ſed neminem fortaſse pari ac nos perfuſum eſſe voluptate. Etenim ſi qua induſtria ingenii, ſi qua vis gratæ voluntatis, ſi quod officii genus in nobis reperitur; totum id veſtrum eſſe, ad vos tot nominibûs id totum pertinere fatemur; quot à vobis beneficiîs cumulati, quot donîs munificentiſſimîs Radivillianîs aucti, quot gratiîs atq́; favoribus tum ab hac Illuſtriſſima, tum ab iſta Celſiſſima familia ſumus ornati. Non itaq́; committere potuimus, quin tenuî ſaltem iſto conjugii veſtri fauſtiſſimi præconiô ſummam noſtram lætitiam animumq́; erga vos ſummopere propenſum teſtaremur; præſertim cùm ſingularis erga Societatem JESU veſtra benevolentia, qualecunq́; hoc honoris veſtri rerumq́; ſecundarum ſtudium, non ingratè à vobis exceptum iri, certò nobis

promittat. Hoc verò obſequium univerſa quidem Provincia noſtra, ea, qua par eſt, officioſi animi teſtificatione Vobis exhibet; at præcipuam muneris iſtius partem honoremq; ſua vobis officia deferendi, ſumit, veſtroſq; favores ac patrocinia nunquam ſibi defutura ut vehementer deſiderat, ſic polliceri ſibi non dubitat,

Illuſtriſſimo atq; Celſiſſimo
Nomini veſtro immortaliter devotum, Collegium Radivilianum
Neſviſienſe

Societatis JESU.

PANEGYRICUS

SI quantum nos felicitatis publicæ ex vestra, **FORTUNATISSIMI SPONSI**, quam initis, enasci societate intelligimus, tantum ad rem eandem explicandam facultatis in nobis sentiremus inesse, speraremus profectò, eâ, quâ suscipimus auspicatissimum istud conjugium vestrum celebrandum, ratione tum apud vos officium posituros nos haud ingratum, tum omnibus patriæ civibus, in primis Gentibus cum vestra utriusquè Familia conjunctis, rem præstaturos jucundam. Verùm etsi nos mediocritatem nostram cognitam penitus atquè exploratam habeamus, atquè opus hoc ingeniô non nisi optimè à natura comparatô, atquè ab usu & exercitatione probè instructô, dignum esse probè cognoscamus; illud tamen ingredi

atquè perficere, ut noſtrarum partium eſſe ducimus, ſic ſtudium illi noſtrum commodare, minimè veremur, propterea; quòd cum dignitas Veſtra, ac ſingularis quædam erga nos beneficentia id à nobis poſtulet, tum verò ſumma Rei-publicæ; cujus nos aliqua utiquè particula ſumus; felicitas id nobis omnino ſvadeat. Tametſi enim & ſit ea Nominis Veſtri amplitudo, eaquè Proſapiæ claritas, & ea erga nos veſtra exſtet munificentia voluntatiſquè, commodis noſtris non mediocriter addictæ, luculentiſſima ſignificatio, ut diem iſtum fauſtiſſimum, qui Vos feliciſſimò amicitiæ indiſſolubilis connectit vinculô, gratulationibûs proſequi, Veſtrarum laudum prædicatione ſolennem agere, non æquum modò ſed honorificentiſſimum etiam ſit nobis; tamen, quòd res eſt, ad ejuſmodi gratulationes atquè lætitiæ ſignificationem, non tam Veſtrô aliquò commodô (quod apud nos ſummô ſemper fuit, ſummôquè ſemper erit locô) quàm publici boni ſtudiô nos eſſe adductos, ut non obſcurè ſentimus, ſic ingenuè neceſſe eſt fateamur, propterea; quòd vos met ipſos ita quidem animô comparatos eſſe, videamus, ut, ſicut publicum bonum (quod hominibus ſublimî locô natis ſolenne eſt) propriis veſtris commodis anteponere conſveviſtis, omniaquè veſtra ad publicas utilitates relata ſemper vultis; ita non è veſtro aliquo emolumento ſed è re publica; quæ vobis inprimis eſt curæ; ſpectari atquè æſtimari gaudeatis: &, ut laudem virtute mereri, glorioſum Vobis ſummopere ducitis, ita laudes Veſtras prædicationibûs celebrari, per inſignem modeſtiam alienum à vobis eſſe velitis. Non dubitamus nos ſanè, quin omnes,

Con-

Conjugium hoc faustissimum ad publica planè commoda esse institutum, summèque accomodatum, luculenter intelligant; tamen quod nobis ea de re cogitantibus in mentem venit: quantum in hortis, locisquè ad jucunditatem & svavissimos fructus percipiendos apparatis, ornamenti atquè utilitatis arbores habent, tantum Felicitatis Publicæ hoc Conjugium nobis præsentare videtur. Si namquè id in horto sunt arbores, quòd homines in Re-publica; non minùs certè *commodum Reipublicæ* atquè *opportunum* accidit *conjugium* inter vos constitui; quàm *congruum*. Utile est, poni in horto arborem pulcherrimam juxta ac fertilissimam; magnum certè illa arbor horto præstabit ornamentum, præstabit utilitatem non mediocrem; in Vestro Conjugiô è re commodisquè Rei-publicæ spectato, quis duo hæc summa esse non videat? Nos certè, ut, quanta in ista amplissimarum Familiarum conjunctione publica insit felicitas, pro tenui, atquè infirma parte nostra commonstrare valeamus; *summam ex ea utilitatem, Summumquè ornamentum in universam Rem-publicam proficisci*, humili atquè imbecilla oratione nostra contendemus.

An ullo ex fonte alio, non liquet, majora in Rempublicam manent commoda, aut unde plura peti possint ornamenta, quàm si inter cives talia instituantur conjugia, quæ & hominum universè probentur sententiis, & Superûm placitis confirmentur. Nam cùm omnis respublica è consortione humana constet; manifestum est, ibi cives gratiâ, autoritate, gloriâ, opibûsquè florere pulcherrimè, ubi fortunæ sibi communes sint, animiquè vinculîs amicitiæ colligati

 maxi-

maximè teneantur. Non eſt ſane, quod ea ſibi civitas metuat, in qua rebus ſuis concordia ſit præſidiò. Ita communitos adoriatur, licet, hoſtis: infeſtis undiquè telis oppugnet; diſſipabuntur molimina, cedentquè irriti conatus ſui omnes, ubi ſe in armatos amicitiâ impegerint. Hoc muro ipſo Lacedemones ſe maximè tutabantur: ejuſmodi præſidiis Romana civitas tamdiu ſtetit, totquè gentes victrix ſub jugum miſit. Ecquando tandem res ſua inclinare cœpit? tum ſcilicet, cùm diſcordiæ & æmulatio Syllam à Mario, Pompeium à Cæſare diſtraherent. Ita ſcilicet illa, *concordiâ res parvas creſcere, diſcordiâ dilabi maximas*, digna eſt aurô, quæquè in animos mortalium imprimatur, ſententia. Quæ ſic communit civitates, ea quoquè familias ornat magnificè conjunctio. Habet ſuum quidem pretium & annulus aureus & gemma; nec gemma tamen ad digitum apta ſine annulo,nec annulus tantum fulgoris habet ac pretii ſine gemma: conjunctione utriuſquè augeſcit ornamentum. Præclara ſunt per ſeſe Principis CAROLINÆ decora ſua domeſtica: perquam illuſtria Senatoriæ gentis RZEWUSCIANÆ ornamenta:pulchrum ſit,natam eſſe Ducibûs Exercituum Litvaniæ heroidem: par fuerit laus, editum eſſe parentibûs, Ducibûs Exercituum Poloniæ Heroem; tum ſingulares hæ luces tantæ ſecum conjungantur: quantam tibi ea conjunctio claritatem, quàm magnum pariet ſplendorem? Id hodie, vobis, Celſiſſimi Illuſtriſſimiquè Sponſi, nuptias veſtras ornantibûs, læti omnes ſuſpicimus, ac de eo inter nos gratulamur. *Lætamur omnes bonô patriæ communi, quod hæc conjunctio veſtra, Litvanæ pariter Polonæquè, gentibus pollicetur;*

tur;

tur; hoc primum: *gratulamur de vestra Societate ista, quâ sic Sponsorum, tam illustrium, tamquè suî similium animi coaluerint:* hoc alterum orationis nostræ argumentum. Sic spei optimæ pleni, quod promittitis, cogitatione & animis præcipimus, ut de futuro tanquam præsenti bono gaudeamus: ita de hac vestra conjunctione gaudemus, ut multò plura, quàm fortuna nostra capere possit, excitati ad spem, præcipiamus animîs.

Jam causas cum gaudii tum spei nostræ exposituros hac oratione; non illa quidem calamistrata, nequè ad tantum nuptiarum splendorem ornata, quin etiam ipsius insolentiâ lætitiæ perturbata adeò, ut verba mentem antevertant, pluraquè se, quâm ad rem sit opus, effundant; ex animo illa tamen profecta, excipietis, speramus, ea benignitate, Principes, quâ studiosos honoris vestri nominisquê cultores accipiendos putatis. Hac bonitate freti, ideoquè orationis commendæ & commendandæ minùs curiosi, rem institutam persequimur. Favete, oramus, nobis etiam inter hos è bellicis machinis tonitrus, inter istas gratulantium voces Procerum & populi acclamationes festas, nostra officia profitentibus; dum læti ista felicitate tum patriæ tum vestra tum nostra plauditis.

PARS PRIMA.

QUod de gente Romana, dum è collecta Pastorum manu gens excitaretur nova, civitatis imperaturæ parva jacerentur fundamenta, urbs parva parvîs circumdaretur mœnibûs ac vallîs, tum ducerentur coloniæ, Tribus ac Magistratus constituerentur, memoriâ proditum est; eam nimi-

rum ducta conditoris sui & consiliô, cum Sabinis vicinæ sibi Provinciæ populis societatem atque amicitiam imprimis instituisse propterea: quòd homo ille ad tantam gentem, quanta olim Romanorum esset, condendam natus, ac propterea mira quadam (quod credere pronum est) ingenii sagacitate præditus, quid è Republica esset, prudens intelligeret: Regna scilicet hoc pacto maximè sustineri firmarique, firmata amplificari, amplificata ad summum provehi; id de nostra Republica literîs consignatum legimus, atque adeò nostrîs oculîs usurpamus: scilicet Romanos cum Sabinis, auctore Romulo, cum Litvanis Polonos, VLADISLAO JAGELLONE Duce, in unam gentem convenisse. Et verò quemadmodùm Romanis conjunctio illa ad maxima rerum suarum valuit incrementa, ita Polonos inter Litvanosque inita societas utilis adeò & opportuna extitit, ut gens utraque, collatîs in unum viribûs, nulli non hosti metum injecerit, finesque suos majorem in modum amplificaverit. Hinc quoties nos svavissimos conjunctionis istius fructus in mentem nobis revocamus, toties ad laudem Majorum; quorum operâ perfectum id esset; ipso monitore animo grato, excitamur. At si modum etiam rei gestæ consideremus; similî planè pactô apud Romanos cum Sabinis, atquè cum Litvanis apud Polonos, amicitiam stabilitam firmatamque esse comperiemus: conjugiîs scilicet illinc atque hinc gentes in unam sodalitatem convenisse. Sabinas ad conjugium invitabant Romani; exemplum proditurus civibus Magnus ille Litvaniæ Princeps JAGELLO HEDVIGEM Poloniæ Reginam matrimoniô sibi adjunxe-

adjunxerat: cùmquè inter Principes gentis utriusquè ita convenisset; gens quoquè altera in alterius jura atquè Societatem adscita est, atquè asserta. Nec satis visum est semel tantùm societatem istam conjugiorum fœdere instituisse; sed etiam atquè etiam iisdem pactîs censebant esse confirmandam. SIGISMUDUS ille AUGUSTUS, JAGIELLONICÆ olim in Polonia rerum Regniquè potientis Domûs ultima, ut vocant, scintilla, sicut in celebri illo utriusquè Gentis conventu Lublini instituto Litvaniam suam conjunxit cum Polonia, ita ad eam quasi certissimîs quibûsdam præsidiis confirmandam BARBARÆ RADIVILIÆ nuptias expetiit. JOANNES item Rex SOBIESCIUS, quemadmodum commodorum publicorum studiosissimus erat, ita conjunctionem eandem conservatam religiosissimè voluit. Hic MICHAELI Principi RADIVILIO Sororem suam lectissimam; quòd & sibi utile atquè decorum esse, & ad Rem-publicam plurimum facere sapientissimus Princeps videret, in matrimonium collocavit. Quod igitur olim actum esse, cum summa jucunditate lætitiaquè commemoramus, nunc ferè oculîs usurpamus. Digna, quæ Regibus nubat, RZEVUSCIO sponsa legitur RADIVILIA: dignus ad quem regia deferantur insignia, Sponsus RADIVILIÆ offertur RZEVUSCIUS. O felicem Poloniam cum Litvania! O quicunquè Patriam, ejusque commoda amatis cives, cogitate, quæso, quanti sit ad felicitatem publicam, quanti ad confirmandam utilissimam juxta atquè omnibus bonis longè jucundissimam gentis utriusquè conjunctionem, ad vires ejus augendas: duas illas tam amplas, Poloniæ alte-

alteram, alteram Litvaniæ, gentes in unam commigrare: Familias tam potentes, tam illuſtres Proſapias ſecum conjungi: RADIVILIAM ſcilicet nubere RZEVUSCIO? Eſt ſane, quod vobis, eſt quod Patriæ veſtræ gratulemini, fauſtiſſima hac Familiarum iſtarum conjunctione, ad Patriam ab externa vi defendendam, ad pacem interiorem civiumque tranquillitatem ſuos intra limites retinendam, ad reſtituendum priſtinum Regno decorem atquè integritatem ingens robur, autoritatem ſummam, ſummamque potentiam comparari. Si enim ex magnarum rerum conjunctione, magna conſurgit vis ac robur, ecquis non videat, quantam utriquè huic Familiæ & felicitati patriæ ex hac conſociatione ſtabilimenti ſit ac firmitatis? Ac primùm quidem *Sponſæ Celſiſſimæ* Familiam, generiſque claritatem ſi conſideres; profectò tantum illam inter cæteras eminere, quanto ſuperiores videas cedros virgultîs, montes collibûs, colles convallibûs. De qua nobis dicere ingredientibus nimium quantum difficultatis ipſa rerum objicit copia ac magnitudo. Ad originem hujus animos advertemus? Perſtringet mentis aciem ingens ille ſplendor dignitatum, quo fulgent tot è gente iſta Proceres, lumina patriæ clariſſima. Res ab illis domi geſtas ſpectabimus? quot foris bella feliciſſimè ab iſtis confecta! Fortunas opeſquè æſtimabimus? multò clariora continuò alia, animorum ſcilicet decora admiranda ſe offerent. Amplitudinem meritorum in Patria, partamquè rebûs geſtîs gloriam loquemur? interpellabunt illico alia atquè præclara horum famæ præconiîs pervulgata. Amorem Patriæ curaſquè boni publici prædicabimus?

Religio ac liberalitas suarum nos laudum simul admonebit. Nihil omnino reliquum est nobis ex omnibus hujus Familiæ ornamentis, quod aut celebratum adhuc non sit, aut non hodiequè hinc illinc laudibûs commendetur. Id quod ipsum etiam repetere gratum est longioremquè ea de re contexere orationem; quæ & ornatissima semper exstitit ac immortalem meruit memoriam, & novîs etiam nunc splendoribûs augeatur, cujus honore atquè majestate verba ipsa, quibûs eam exornare contendas, ornatissima efficiantur. Solet hoc non rarò evenire, ut qualis fuerit solis exortus, talis quoquè, serenus nimirum aut tristis, dies contingat: & ideò fieri sæpè videmus, ut homines nonnulli ad Solem orbi se infundentem obtutus suos advertant, & ex eo diem venturum metiantur. Id quod in fluminibus etiam observare consvevimus, ut, cùm eorum magnitudinem aliasquè qualitates singulares, illis adjunctas, admiramur, caput illico atquè originem, è qua aquæ illæ enascantur, quærimus, ad fontem ipsum mentem referimus; nimirum fluvios ingentes, mundam puramq; undam pleno semper vehentes sinu, non ex humili aliqua palude, sed è fonte nobilissimo atquè fæcundissimo proficisci. Ita planè, cùm nos RADIVILIORUM sangvinem, velut fluvium quemdam vastissimum, ad eam magnitudinem videmus devenisse, ut non modò universam Poloniam atquè Litvaniam irrigârit, sed ad alienas quoquè processerit terras, atq; ad ipsos terrarum Dominos penetrârit; quæ nam & quanta exordia ejus fuerint haud difficulter conjicere possumus. Cùmquè Domus hæc amplissima tantis sit circumfusa splendoribûs, ut

cum medio die de luce contendere videatur; quàm illuſtrem exortum habuerit, planum eſt, cuique intelligere. Quicunque cognitione rerum noſtrarum vel leviter ſunt imbuti, ac in proceſſibus Litvanæ gentis vel mediocriter verſati, ignorare ſanè non poſſunt: RADIVILIOS ad Duces Litvaniæ potentiſſimos natales ſuos ſuaq; incunabula referre; at ſuamet Ipſorum voluntate, publicæ utilitatis amore, ac moderatione quadam admiranda, ſtudioq; cum iis Patriæ Civibus, ſupra quos nativâ gloriâ longè eminerent, æqualitatis ineundæ, cùm Litvani Polonis accederent, honorificentiſſimum iſtum Principis Titulum abdicâſſe, ac pro nativo ſtemmate, (ut nobis dicitur) quòd Eis tanquam Litvaniæ Ducibus, Eques armatus erat, JORDANORUM aſſumpſiſſe Tubas; quô nimirum, Principe iſta Litvaniæ Familiâ, ita Polonis adſtricta atq; adjuncta, firmiſſima Polonorum Litvanorumq; conjunctio efficeretur. Non operæ pretium viſum eſt, ſingula hic referre, quæ & cuiq; ſatis ſunt per ſe cognita, & longam nimis conficerent narrationem, ſuis numerîs atq; locîs diſtincta referre, commemorare ſcientibus ſatis putavimus: quam Imperatores Romani RADIVILIOS Duces in Goniądz ſemel, creârint, ac iterum, lineâ illa exeunte, Neſviſienſium Ducum Titulô ornatos inter Celſiſſimos Romani Imperii Principes cooptârint: nempe ut quos Principes naſci contigerat, & eſſe æquum fuerat, eoſdem Principes fieri, ſuiſq; ampliſſimis meritis atq; virtuti id concedi, tantò honorificentius cuiq; appareret, quantò præſtantiùs eſt, electione meritîſq; ſuffragantibûs ad dignitatem evocari, quàm ad eam cæca ſorte, fortunæq;

næq; nihil ad virtutem, ad merita nihil reſpicientis calculò, ad altos munerum honorumq; gradus provehi. Hic ego audire mihi videor Patriam novitate rei, ex dignitate hac nulli antea uſitata, nonnihil commotam cum RADIVILIIS hunc in modum expoſtulare: Voſnè ornamenta foris quærere? Vos alienîs titulîs atq; nominibûs cenſeri? Vos non ſine contemptu meo mutuari lucem ſplendoremq; apud externos ſoles? Ego Vos, dum naſceremini, ſinu excepi, exceptos complexu fovi dulciſſimo, atq; nutrivi, nutritos liberaliter educavi, ornavi honoribûs, fortunîs ac opibûs luculentiſſimîs cumulavi, ad ſummos dignitatum gradus provexi. Ita ſi fortè parum in Vos exſtiti liberalis, atq; munifica, en, ait, mea omnia vobis deſtino, omnia mea meq; adeò ipſam Vobis permitto. Summa bellicæ rei ad Vos erit deferenda? deferetur. Vos in Senatu primum locum obtinere eſt neceſſe? obtinebitis. à publicis negotiis maximiſq; (quod vocant) Miniſteriis Vos eſſe oportebit? Eritis; fidem obligo. Ad Thronos ipſos aſcenſus Vobis eſt dandus? dabitur: nulla in me mora. Ite jam ingrati poſt tot favores Filii! Ite, DEOS colite externos, externos adorate Soles! Ite Vos ego (quid enim dolor non audeat) dum nominis mei fama in orbe exſtabit, Vos ego!-- ſed vocem dolor intercipit, verba eximit, ſpiritum intercludit! Quid verò eſt bona Mater, reponunt RADIVILII, quod quereris? quid quod nobis tantopere indignaris? quid quod nos à te deficere; ad externa tranſire ſigna, majorem in modum doles atq; cauſaris? Itane verò, nos Patriam deſerimus, quam ab ortu jam inde noſtro ita adamavimus, atq; cum vita

ipſa tantum ejus amorem infuſum nobis ſenſimus, ut nihil ſit, quô non eam potiorem ducamus, ut vel lucis iſtius uſuram infra eam longè eſſe poſitam arbitremur, quidquid poſſidemus opum atq; facultatum, quidquid virium ac poteſtatis in nobis ineſſe ſentimus, totum id, noſq; adeò ipſos Patriæ devotos, atq; conſecratos volumus. Ergone Patria ſvaviſſima, eam de nobis opinionem in animum inducere potuiſti? Tu nobis non præſtitam Tibi fidem objicere? Tu RADIVILIOS parum Tui ſtudioſos queri, atq; dolere? Parvane noſtri erga Te amoris extant documenta? Tibine conſilio? Tibi manu ullo loco defuimus? parva ſunt quæ pro Te geſſimus? parva quæ ſuſtinuimus? parva quæ de noſtris facultatibus in Tua commoda erogavimus? Fabios illos Romanos in mentem Tibi, ſi placet, advoca, illiſquè inſtructa acie ad Veiens bellum, ſuas in copias ſuoſquè in humeros, Patriæ gratificandi ſtudiô, ſuſceptum procedentibus, RADIVILIORUM aciem ex adverſo colloca, oppone Illorum facinus, tot celeberrimis iſtorum factis, ſemel & ſimul illi rem Patriæ ſuæ utilem, atq; ſummopere gratam aggreſſi, idq; conſiliô tam improvidô, tam infelici exitu, ut in inſidias hoſtium imprudenter inciderint, trecentoſq; ipſos viros, omneq; adeo hominum genus, uno dumtaxat qui cladis acceptæ nuntius infelix teſtiſq; poſteritati relinqueretur, ſalvo evadente, una dies abſtulerit. Iſti, quamdiu nomen illorum ſtetit (ſtetit autem cum primùm Litvania florere cœpit, ac præſertim cùm Poloniæ eſt adjuncta) quas res, quàm aditu arduas atq; difficiles, quàm exitu admirandas, quàm Patriæ utiles, atq; honorificas pace belloq; geſſerunt?

runt? ista metire, accuratiùs singula tecum dispice. Quid, non se tibi satis probârunt RADIVILII? non satis bonos, tuiq; amantes filios se præstiterunt? Ita sanè (quid enim mentiar) Patria subjungit, cùm multos ego tales sinu meo amplectar filios, quos mihi vel ipsa suis Camillis, Deciis, aliisq; celeberrimis viris superba invideat Roma; tum verò RADIVILII ii mihi semper sunt visi, qui in paucis primi haberentur, tantòq; multis aliis præstarent, quantò præ aliis multis in amoribus mihi fuerunt. Verùm hoc est, quod nobis altiùs in animis insidet, hoc quod nos vicem nostram graviùs dolemus: eos, tot nominibûs nobis obligatos, tot præclarîs sinceri erga me amoris probatos testimoniîs, fidem mutare. Cur namq;, viri optimi, me meosq; honores tam parvi æstimatis, ut aucupemini alienos? Aucupamur verò, inquiunt illi: ecquos illos? Principum Romanorum titulô aucti sumus; at honor iste invitis obvenit: quid enim foris quæreremus, quod à Parentibus acceptum, boni communis studiô, ultro dimisimus? vide sis Patria carissima, quemadmodum ad te honor iste redeat: ad tua videlicet attinet ornamenta, tales te genuisse filios, quibus externi Principes tantum habeant honorem, tantîs illos ornent muneribûs. Enimvero quod accepimus, tuis in thesauris reponimus, non usuri oblatîs, quæ à dignitate tua fuerint aliena. Habes igitur RADIVILIOS tuos, tuum ad arbitrium maximè intentos. Consilium res postulabit? hîs nemo id ad utilitatem Reipublicæ accommodabit diligentiùs: ad arma res spectabit? nemo illîs aras tuas focosq; tutabitur certiùs: conficienda sunt tibi multîs implicata difficultatibûs nego-

D tia?

tia? conficient iſti Conſules Celſiſſimi: opem civium implorabis? primi ſubvenient tibi RADIVILII labore pariter atq; induſtriâ: afflictæ res tuæ ſublevandæ? vita ipſa tuâ causâ in periculum conjicienda? conjicient, ſublevabunt RADIVILII. Age dum, ut verborum fidem facta comprobent, ad rem attende diligenter. Utere, dum licet, horum felix caritate, fide, animîs, ſapientiâ. Tamdiu res tuæ ſtabunt incolumes, quamdiù hæc Domus Celſiſſima, decus præſidiumq; tuum, durabit. Neq; hæc laus tanta non amari poteſt aut eſſe ſine præmio. Qui tam ſublimis honoris gradus, in quo non RADIVILIUM ullum merita ſua collocârint? quod illud in Republica munus vel ad nominis commendationem illuſtre, vel negotioſum ac difficultatibûs impeditum, quod non præclarè Principes iſti ſuſtinuerint? Quæ cæteris ſuperior eſt, eaq; difficilior, dignitas Senatoria, quàm hæc tum ſacra, tum profana RADIVILIIS domeſtica? Quot in hac Domo Pontificum infulæ, Palatinorum curules, Caſtellanorum, Magnorum Ducum, Miniſtrorum ſtatûs, inſignia? Exercituum Litvaniæ Duces, Imperatores Clariſſimos: quantus erit jam reliquus Præfecturarum cenſus in hac Familia? Ut paucis abſolvamus omnia, dixiſſe ſit ſatis, nullum in Republica fuiſſe tempus, quô non præcipuîs RADIVILII in Litvania fulgerent muneribûs: atq; ita illi quidem ſinguli omneſq;, magnîs meritis ſuîs poſtulantibûs. Jam ſi ad ea, quæ ad vitæ honeſtatem, ſtudiumq; publici boni ſpectant, animum advertamus; hæc niſi quis tam magna eſſe fateatur, ut ea, nullius eloquentia enarrare ſatis poſſit, ignarus omnino rerum, aut iniquus earum æſtimator ſit

oportet:

oportet: æquitatis ſtudium tantum ſemper in illis erat, ut qui, nullo pactô, non ſpe lucri non ullius potentiæ metu, non amicitiæ incitamentîs à recto unquam abduci potuerint;in maximis,quæ gerebant,muneribus, ut quiſq; mereretur, aut pœnam irrogare, aut decernere atq; largiri præmia,religioſiſſimum duxerint,vel ex eo poſſumus æſtimare:quòd ad nulla unquam ſua lucra fuerint attenti:non aliud rerũ geſtarum operæ pretium rati, quàm egiſſe præclarè. Imo; quod maximorum Principum eſt; quò magis ſibi opes creſcebant,eò magis fortunas ſuas deſpectabant: liberaliùs de ſuo aliis largiebantur:commune bonum impenſiùs procurabant. Id prædicant tot locis Magnifica Muſis poſita domicilia, tot condita ampliſſima Collegia, tot DEO Diviſq;colendis excitatæ ædes ſacræ, tot Familiis religioſorum ordinum cænobia, gynæcea, excitata. Parum illud eſt hodie, ſi tot acceſſiones tantas ſpectes, quod de munificentia piiſſimorum Principum noſtrorum JOANNES Demetrius Solikovius Leopolienſium Archi-Epiſcopus, rerum Patriarum ſcriptor inclytus, monumentîs ſuîs annîs abhinc centum ampliùs conſignatum, reliquit: RADIVILII, inquit ille, *plus quàm trecentas in Polonia ædificârunt Eccleſias: impleverunt ſpoliîs hoſtium templa,aras aurô; per tanta fortunæ diſpendia ſemper divites.* Idem prædicant, permulti cives illi Patriæ nobilitate clari, à RADIVILIIS opibûs aucti, gratiîs & favoribûs ornati, ad honores & munera præclara provecti, multîs nominibûs RADIVILIANÆ munificentiæ obligati. Sanè RADIVILII cùm & honoribûs maximîs ſemper fulgerent, & magnitudine opum eſſent clariſſimi; non cometas vanos, non igniculos mino-

res, qui Plebem terrerent, eiq; imponerent, se existimârunt; sed qui velut magna sidera omnibus lucerent, vigoremq; eis adspergerent, cives præsidiis suis tegerent, beneficiis foverent clientes, omnibus munificos se præstarent, Patriam summô studiô, omni officiorum genere prosequerentur; hinc tanta illis erga Rempublicam fides,amor, atq; observantia, nunquam ut adversus eam se commoverent, nunquam sibi insolitam ullam supra cæteros usurparent authoritatem: Regibus semper chari, apud cives maximè gratiosi, omnibus amabiles adeò, ut Regum deliciæ, amor civium, atq; æquiore jure, quàm illi Romani Decii, Camilli, Augusti, Trajaniq;, Patriæ Patres dici & esse mererentur. Jam si res armîs gestas commemoremus; quàm ardens sua virtus Martios inter ignes enituit! quàm flagrans amor Patriæ! quoties illi hostium telis invictum pectus objicere,quoties pulvere conspersi, sudore perfusi infixa in casside tela osculari, lætari ex vulnere: quoties suîs copiîs vim belli sustinere,exercitibus suô præire ductu exemploq;,fortitudine animos addere, ad ardua excitare, aciem instruere, mira celeritate bella conficere, vincere, triumphare. Testis est Livonia SIGISMUNDO tertio ejusq; Filiis Regibus victoriis RADIVILIORUM subacta: testis Russia armîs edomita: Ukraina, fusis cæsisq;, Valachîs, Turcîs, Scythîs toties profligatîs, parere Polonis, coacta: profectò si in Republica ista consvetudo vigeret; ea, quæ apud Romanos à vocabulis subactarum Gentium nomina Ducibus imponi obtinuerat, ut illi Macedonici, Cretici illi, alii Numantini, Africani alii cognominarentur: non plura in Romanorum annalibus, quâm in RADIVILIANIS fastis

 cogno-

cognomenta ac titulos legeremus; atq; ita Livonicus iste, iste Rossicus, Turcicus ille diceretur; quantumq; universa Respublica hostium numeraverit, tantum trophæorum ipsa hæc Familia civibus haberet ostentanda. Ita quidem RADIVILII & Patriam præclarîs virtutis suæ monimentîs mirificè exornârunt, & à Patria vicissim summîs honoribûs sunt cohonestati, tantumq; decorum in hanc domum collatum est, ut ex eo cumulo principes, quot quot sunt in Litvania Poloniaq; Familiæ, præcipuum splendorem & ornamenta habeant, de suis quoq; ornamentis illi vicissim tribuendo, domuiq; huic, velut dum auro additur aurum, immensam propè efficiendo amplitudinem. Quæ una est illustrissima in hoc Regno Familia, quæ non cum RADIVILIIS sit conjuncta? Huc refer cognata illa affiniaq; Magnorum Principum nomina: ZBARASCIOS, GASTOLDOS, OSTROGIOS, KOTLEROS, VISNIOVIECCIOS, SOBIESCIOS, SANGUSCIOS, POTOCCIOS, ZAMOYSCIOS, BRANICCIOS, LUBOMIRSCIOS, ZASŁAVSCIOS, SAPIEHAS, CHODKIEVICCIOS, ZOŁKIEVICCIOS, JABŁONOVSCIOS, TARNOWIOS, VANDALINOS MNISZCHOS, OGINSCIOS, TARŁONES, OPALINSCIOS, ZAVISZAS, TYSZKIEVICCIOS, VOŁOVICIOS, KONIECPOLSCIOS, OSSOLINSCIOS, PACIOS, POCIEJOS, BRZOSTOWSCIOS, &c. Quanta hæc in RADIVILIANAM Domum cum istarum tantarum illustrium Gentium laudibus, quàm augusta decora sunt collecta? Digni itaq; habiti sint RADIVILII, quorum nomen in regias acciperetur Familias, jungereturq; cum JAGIELLONIBUS per BARBARAM

 RA-

RADIVILIAM, SIGISMUNDO AUGUSTO in matrimonium elocatam: cum SOBIESCIIS per ſororem JOANNIS III. MICHAELI RADIVILIO nuptui collocatam: cum VISNIOVIECCIIS & LESZCZYNIIS Regio honore decoratis, per inſtituta conjugia: cum Germanicis etiam Principibus Sereniſſimis: *Brandeburgico Electore*, atq; *Neoburgico Principe*, cum *Electore* item *Rhenano* per CAROLAM LUDOVICAM BOGUSLAI RADIVILII Filiam, JACOBO JOANNIS III. *Filio* ſemel atq; iterum, Brandeburgico ſcilicet vitâ functo, fruſtra expetitam. Hinc, quod cuiq; pronum eſt intelligere, quàcunq; tandem iſtorum Principum ſangvis propagaretur, RADIVILIORUM quoq; amplificaretur cognatio; ut id circo MAXIMILIANUS Imperator in literis ad NICOLAUM, III hoc nomine Principem, RADIVILIUM Palatinum Vilnenſem datis, RADIVILIOS Fratres & conſangvineos ſuos peramanter appellaret. Sed quod neminem non ſumma compleat admiratione; cùm ea ſit humanarum rerum conditio, ut eodem in ſtatu perpetuò durare nequeant, ſed ea maximè, quæ maximè eminent, non ſecus, ac cedri adversîs ſæpe ventîs agitentur, aut velut celſæ turres graviore impetu ruant, aut tanquam montes ſummi fulminibûs ſint obnoxii magis; ipſa RADIVILIANA Domus, ſingularî quôdam DEI immortalis beneficiô, ſarta adhuc tot ſæculîs tectaq; perdurat ac floret. Corruunt alta, humilia ſurgunt, clara extingvuntur, in lucem prodeunt obſcura: Principum noſtrrorum domus aut ſola, aut inter paucas una primum conſtanter ſervat ſplendorem: in ſuo ſemper faſtigio ſuſpicitur: fulget augeturq; præclarîs honoribûs, Celſiſſima eadem tamdiu atq; illuſtriſſima. Ubi nunc

ſunt

ſunt illi toto orbe inclyti, Græcorum Lycurgi, Solones, Epaminondæ? ubi Hectores, Priami, Æneæq; Trojugeni? ubi illa Romana numina: Decii, Camilli, Bruti, Scipiones, aliæq; clariſſimorum id genus virorum Familiæ? in ipſa Roma Romam hodie requiras: in Polonia Litvaniaq; noſtra PIASTOS, JAGIELLONES, VISNIOVIECCIOS, illos Regni noſtri ſoles, totq; alia nomina præclara, quædam quaſi Regni prima ſidera, fruſtra quæſieris. Ipſi RADIVILII, Divis immortalibus proximi atq; ſimillimi: fortunæ caſibùs ſuperiores, nunquam è ſuo felicitatis gradu deturbati, nunquam non opibûs atq; honoribûs ſummi atq; illuſtriſſimi, vigent florentq;. In quo quidem domus hæc commune cum fluminibus id nacta eſt: quòd illa, quô longiùs progrediantur, eô magis aquis augentur, magiſq; amplificantur; ceterùm id eis à fluviorum ratione diverſum eſt; quòd, dum illi magnîs intervallîs à fonte recedunt, quam ex ipſo limpitudinem acceperant, per intervalla cum aliis commiſti fluentis, amittant: iſti cum luce ſolis creſcente, quò longiùs proceſſerint, tantò conſpectiores ſint, magiſq; fulgeant. Si omiſſa prælonga RADIVILIORUM ſerie ad ipſos Parentes Sponſæ tuæ ornatiſſimæ animos adverterimus; facile longiùs à nobis poſita in hac ampliſſima Principum gente contuebimur: Mater, Filia Principum, primiq; Senatoris, Principi pariter, primoq; Senatori, tantorum bonorum hæredi, tot nominum atq; ditionum ampliſſimarum Domino, Regio tum KORYBUTHORUM, tum LESZCZYNIORUM ſangvine clara, inſignis naturæ atq; Virtutis dotibûs conjux, conjugi æqualibus omnino ornamentîs commendato, Regiîs SOBIESCI-

ORUM atq; JAGIELLONUM titulis conspicuo; VISNIOVIECCIA juncta RADIVILIO. Cujus Principis optimæ non possumus, inter tot etiam lætitiæ præsentes causas, sine desiderio ac gemitu meminisse. Commendabant illam Heroidum Principem omnibus permulta, cognata sibi, comparataq; virtute decora: ea mentis acies, animi magnitudo, rerum multiplex cum humanarum, tum Divinarum etiam cognitio, artium ingenuarum in primis Poëticæ scientia & usus Principibus commendabilis; quodq; cæteris longè præstat, summaq; omnium est, in eo rerum humanarum statu beato præcipuum religionis studium, mira comitas, propensa ad misericordiam voluntas, miseris mortalibus tot tam illustribûs exemplîs approbata. Quæ si magna sunt; ea quoq; quæ in Magno Sponsæ Celsissimæ Patre suspicimus & prædicamus, digna forent, quæ, si fieri posset, singillatim recenserentur, omnibusq; cum ad commendationem RADIVILLIANI nominis & Litvatiæ; inqua hic principem locum obtinet; tum multis ad imitationem proponerentur. In primis natura Principem hunc tam liberaliter effinxit, ut nihil in eo desideres. Magnorum Ducum viget in illo animus, par quibusvis regendis gentibus: omnî fortunâ superior; quem Justitia pariter & Clementia, Fortitudo & Moderatio, Liberalitas & Providentia, Pietas & Sapientia, possident teperantque. Amat hæc animi decora ipsa etiam, non amicissima alioqui virtuti, Fortuna. Hæc quantîs avitas Principis opes auxerit opibûs, nôrunt omnes, in primis illi, qui liberalitate Ducis nostri fruuntur, ejusq; bonîs ditescunt.

Jam quæ, quantaq; illa, quæ à virtute profecta sunt? Patere Princeps, nostram de te loqui infantiam.

Flo-

flores opibûs, fulges honoribûs, immortalem nominis famam jam diu habes comparatam, culmen felicitatis rerumq; expetendarum attigisti: maximam horum partem, oportet, virtuti tuæ referas acceptam. Virtus maximos ad te collegit honores; Principem locum in ordine Senatorum Litvaniæ cum summa rei bellicæ potestate detulit: autoritatem in Senatu, in exercitu reverentiam, caritatem & observantiam præcipuam apud Proceres civesq; Patriæ omnes tua tibi merita pepererunt.

Princeps hujus tantæ dignitatis est causa tua ipsius religio; quam, ut nos homuli taceamus, ipsa templa Superûm & aræ, tuis, Princeps, impensis liberalibûs seu condita, seu refecta, sive ornata: ipsa religiosis Familiis posita domicilia, instituendis ad ritus sacros hominibus in Litvania Græcanicis Seminaria, alendis egentibus ptochotrophia, corrigendis petulantibus domus disciplinæ salutaris: multa quoquè ejusmodi alia disertiùs, quàm nostra prædicare possit oratio, enuntiant. Quo pacto efficitur, ut, te nobis præsente, inclytos pietate Principes, Majores tuos immortales, videre nobis videamur. Te conspecto, reminiscimur continuò religiosissimorum illorum Principum: RADIVILII Litvaniæ MARESCHALLI; qui primus è gente sua cum Rege VLADISLAO JAGELLONE pariter Christianis ritibûs initiatus Cracoviæ, Divi Myrhensium Antistitis NICOLAI adscivit sibi nomen, successoribusq; qui ab se rectà descenderent, ordine illi & natu primi, reliquit, atq; commendavit: NICOLAI PRISCI, Vilnensium Palatini, mariti filiæ Ducum *Montvidorum*, VLADISLAI JAGELLONIS consangvineæ, magni

 ejus

ejus ætate & sapientia Litvani Nestoris; Vilnæ templi Divo Georgio, & domicilii Patribus Ordinis Carmelici pii conditoris: NICOLAI III. Vilnensium item *Palatini*, Litvaniæ *Cancellarii*, Principis S. Rom: Imperii & Fratris Consagvineiq; sui à MAXIMILIANO Imperatore titulis aucti, viri religione & meritis multis inclyti: GEORGII *Cardinalis* & NICOLAI Ducis in Goniądz ac Medele; hujus Samogitiensium, Vilnensium illius & Cracoviensium; atq; ALBERTI primùm Luceoriensis, deinde Vilnensis, sanctimonia commemorabili Antistitum: NICOLAI CHRISTOPHORI Vilnensium Palatini, Parentis nostri sanctissimi, & Pinscensium sociorum conditoris piissimi ALBERTI STANISLAI Magni Litvaniæ Cancellarii; quorum res præclarè sanctèq; gestas, posteritati litteris commendandas, conscribimus: STANISLAI *Mareschalli* Litvaniæ, Duce Exercituum, Palatino Vilnensium, Nigro, nati, & hujus germani fratris JOANNIS Trocensium, atq; ALEXANDRI LUDOVICI, Polocensium Palatinorum Præsidum: MICHAELIS Ducis Exercituum & Procancellarii Litvaniæ, avi tui fortunatissimi: ante alios Principum, insignî religionis studiô & Reipublicæ inclytorum; quorum præter alia complura monumenta, tum *Nesvisii* Divi Benedicti, tum in urbe *Biala* Divi Basilii, sacra adoptione filiis, præcipua cænobia, commendant, immortaliterq; commendabunt: tuorum, inquam, Princeps, Celsissimorum Parentum CAROLI STANISLAI Magni Litvaniæ Cancellarii, & ANNÆ SANGUSCIORUM Ducum Clarissimorum filiiæ: horum, inquam, aliorumq;; quorum hic censum inire longum sit ac difficile; pieta-

etatem, merita, beneficia, conſpecto *Duce Palatino* Principe noſtro, grati, tantæq; pietatis amantes ac reverentes, recordamur. Horum nobis Dux & Palatinus Princeps noſter, *Illuſtriſſime Sponſe*, horum, tam DEI amantium Diviſq; carorum, tam religionis amplificandæ ſtudioſorum Procerum inſignibûs pariter meritîs ſuîs identidem excitat memoriam. Cum his tantis laudibus pulchrè Domûs tuæ ILLUSTRISSIMÆ gloria conjungitur; ſeu *religionem erga DEUM* ſpectemus ſive *pietatem in Patriam*. Religionem inprimis Catholicam, multîs abhinc ſæculîs à Majoribus veſtris poſteritati commendatam, tanta conſtanter fide coluiſtis, ut, quod ſciamus, nullus in Familia veſtra fuerit adhuc, qui difficillimîs etiam Eccleſiæ temporibûs ab ea deſciviſſet. Quæ veſtra iſtius pietatis atq; conſtantiæ laus inſignis admodum eſt, neq; cum multis, bene etiam in Eccleſia meritis, gentibus communis. Neq; eam fide veſtra ſervâſtis tantùm, ſed defendiſtis etiam adverſùs veritatis Catholicæ hoſtes, ubi ubi facultas ejus tuendæ fuiſſet, dictis, conſiliîs, opibûs, virtute ſingulari. Huic ipſi tutandæ, & commendandæ civibus, aras, templa, ſacerdotum Collegia, aliaq; ejuſmodi religionis propugnacula tot tam multîs locîs à vobis ſunt condita. Ejuſmodi arces habet Catholica pietas veſtrîs opibûs exædificatas; quales VENCESLAUS, Præſes Podoliæ Palatinus, Dux Exercituum Regni Parens tuus piiſſimus in urbe ſua *Zelechoviæ*: SEVERINUS Referendarius Regni, Patrius tuus, in hæreditariis ſuis oppidis, Oleſci & Lenciæ: MICHAEL FLORIANUS Theſaurarius Regni, Proavus tuus cùm filia ſua FEBRONIA, JOANNIS KONIECPOLSCIS Siradienſium Præſidiis

 Pala-

Palatini conjuge lectiſſima, KONIECPOLII, & Roſſniatoviæ DEO templa, Societati noſtræ domicilia, qualia alibi è Gente tua alii, Principes religioſiſſimi, religionis munimenta, pietatis ſuæ monumenta immortalia poſuêre. Pulchra ſunt ea quoq;, quibûs Illuſtriſſimorum civium iſtorum caritas ſe *Patriæ* commendavit: officia ſcilicet tum togæ tum ſagi. In toga quàm illuſtria ſunt munera, quæ vel in Tribunalibus ſupremus Arbiter, vel in Comitiis Regni generalibus Legatorum Præſes, vel è conventu Judicum Radomienſi ad Regiam AUGUSTI Majeſtatem Legatus, Procerum conſultiſſimus idem eloquentiſſimuſq; Conſul, Palatinus hodie Podoliæ, Parens tuus fortunatiſſimus, obiérit: aut quibûs SEVERINUS Patruus tuus, Regni Referendarius, clariſſimum illud Regiæ Majeſtatis oraculum, toties in Reipublicæ negotiis legatus ſit perfunctus: aut quæ Polonorum ille Demoſthenes, Avus veſter Illuſtriſſimus, STANISLAUS, Præſes Belſenſium Palatinus, Magnus Dux Exercituum, apud Imperatorem Bizantinum Fecialis magna cum Polonæ gentis laude ſuſtinuerit. Quis res pace præclarè geſtas ſapientiſſimi Principis JOSEPHI publicìs officiis nunc frequentiſſimo culmæ Procerum conventui, in graviſſimo negotio diſceptantium, Præfecti, nunc Pocillatoris Regni, modò Referendarii, mox Volhinienſium Palatini muneribûs ornati, immaturò fatò, magno omnium luctu, Patriæ nuper erepti, tum tot Magnorum ex hac gente Senatorum, Miniſtrorum ſtatûs, his atq; aliis civitatibus & Provinciis Præfectorum munera laudeſq; vel numerando percenſeat? Non concedunt hîc arma togæ; quibûs ex hac Familia Heroes Duceſq;

inclyti

inclyti immortalem sibi suisq; posteris gloriam comparârunt. Ex universa illa prælonga Heroum serie; quoniam præclaris omnium factis percensendis oratio nulla sufficit; duorum utiq; Bellatorum, quorum reliqui sint æmuli, meminisse sit satis. Primus horum; quem hac tempestate rerum maximè desideret Patria; MICHAEL FLORIANUS RZEWUSKI, Proavus tuus, Regni Thesaurarius, Patriarum Ductor legionum, multîs inclytus victoriis. Quid non ille, amore Patriæ, boniq; communis studio, egit? quæ non fortunarum suarum vitæq; adiit pericula? quibus non feliciter cum hostibus pro aris focisq; conflixit? Virtutem primò periclitatus suam, ductante copias, magnanimo illo Bellatore, STEPHANO CZARNIECCIO, adversus CAROLUM GUSTAVUM Svecorum Regem, apud Golembinum cum Duce suo pluribûs hostium millibûs cinctus, sauciusq; ex certamine, tanto animi ardore, tantaq; vi aggressus est hostem, ut, nomerô suorum multò inferior, obsidentes circùm cuneos non modò perruperit, sed fuderit etiam, perculerit, dissipaverit. Hîs tirunculus experimentîs initiatus Marti, non dum etiam confirmata ætate, nihil deinceps ille, quod subeundum esset, seu Religionis sive Patriæ causâ, existimare, perniciosum esse sibi, nihil arduum. Itaq; ad difficilia quamlibet certamina magnô se animô ultròq; Ducibus offerebat. Neq; ei tantæ fortitudini divina deerant consilia ac præsidia. Profundenda omnino sibi toties erat cum sangvine vita: cujusmodi fuêre pericula tum in Chotimensibus campis, adversus immanes Turcarum Tartarorumq; exercitus, ubi hic noster legionis suæ ductor, prima in acie objectus hostibus, vim omnem atq; impetum sustinu-

it:tum apud Zaſlaviam;ubi,jam ſummæ belli præfectus, præliô vicit, captumq; Barbarorum ſupremum Ducem abſtulit Muradinum: tum apud Dunajevum, Mohilovum, Raſkoviam, Zoraunum, Viennam, Strigonium, Zmurciam, Camenecum, Fontem Danielis, Zwanciam, Lopuſnam, Szocavam, in campis Budziacenſibus: hîs aliîſq; compluribûs locîs, Divinô tectus præſidiô, commemoranda omni poſteritati rerum â ſe geſtarum reliquit monumenta. Defunctus tot tantîſq; periculîs, Religione defenſa lætus Patriaq;, plurium meritorum cupidus, cùm in Budziacenſibus arvis STANISLAI JABLONOVII Exercituum Ducis & JACOBI SOBIESCII Regii Principis Collega ſtrueret aciem, paralyſi diſſolutus, eodem pæne loco officiis amantiſſimi Patriæ civis Duciſq; fortiſſimi immortuus. Paternam virtutem factaq; MICHAELIS imitatus eſt auxitq; ſuîs laudibûs STANISLAUS, Belſenſium Palatinus, Dux Exercituum Poloniæ Supremus, filius hujus MICHAELIS virtute ſimillimus, & ipſe cum Illuſtriſſimo Parente ſuo ſub iiſdem ſignis, Turcicorum, Sveticorum deinde Exercituum, præliîs compluribûs juſtîſq; bellîs, apud Caliſſium maximè, Varſaviam, & Petricoviam domitor, expugnator, multîs celebratus præconiîs, appellatuſq; vulgò *Fulmen belli.* Hanc tantam tam eximiam laudem, quæ in te paterno manat ſudore ac ſangvine, aureo ſuo excipit flumine, diffunditq; in immenſum Pactolus ille, in quem præcipua Poloniæ influunt decora, Maternus tuus Principum LUBOMIRSCIORUM Srzeniava. Hujus Gentis Celſiſſimæ qui claritatem neſciat, nihil ille unus lucis in Polonia, oportet, viderit. Si ſpectes imprimis proſapiæ iſtius dignitatem, omnes illa Principes in Pa-

:)i D tria

tria gentes complexa, Regibus atq; Principibus potentissimis per THEOFILAM de Celsissima Ostrogiorum Familia JOANNIS tertii ex Sorore nepotem, JOSEPHI LUBOMIRSCII Mareschalli Regni majoris conjugem, ejusq; ex hac conjuge Filiam Teressiam Carolo Neoburgico nuptui datam conjuncta, sicq; ad Reges ac Cæsares Principis istius cognatos propagata. Si honores respicias; LUBOMIRII Senatores: LUBOMIRII Ministri Primarii: LUBOMIRII in militia potestate summa conspicui. Quot hic (ut alia non adducam) Castelanos Palatinosq; Cracovienses numeres, quot Regni Mareschallos, quot copiarum Duces! Si merita in Rempublica consideres; nihil nisi publicum bonum in consiliis spectârunt: nihil, quô Patriæ prodessent intentatum reliquerunt: cum fortunæ dispendio, cum periculo vitæ murum se domi atq; foris pro Patria opposuêre: militem suo ære Patriæ opportunum sustentavêre: longas atq; difficilees sæpe suscepêre legationes: omni ubiq; ope atq; contentione pro Patriæ commodis laboravêre: pericula adiêre: fudêre sangvinem: vitam ei suam consecravêre. Si studium divinarum rerum expendas; omnes illi quidem in maximis negotiis muneribusq;, in summa opum ac fortunarum abundantia, in potentia atq; auctoritate summa ita vitam instituere solent, ut Religionem omnibus rebus potiorem ducant, ut nihil illis æquè ac religio cultusq; Numinis & virtutis Christianæ studium sit in pretio; tamen non paucos inter illos reperias, qui sanctimoniâ vitæ pietatisq; per omne genus exercitiis adeò eminuerunt, ut nè iis quidem, qui omnibûs rebûs à se abdicatîs ad sanctitatem unicè incumbebant

 cede-

cedere viderentur. Quid verò? an in eis doctrinam desideres? quàm multi istius generis homines mira atq; recondita eruditione floruerunt: quantus eis inerat amor studiumq; rei literariæ: quàm non leviter nec mediocriter aut ad speciem & vanam (ut fieri solet) ostentationem, sed liberaliter ac planè solidè eruditi, omni literaturâ exculti fuerint LUBOMIRII; tot libri ab illis scripti, tot volumina in lucem edita luculenter testantur. An consilium requiras? in hac certê Prosapia tot Viros admirabili ac planè divinô consiliô præditos reperies, quot non alibi facilè inveneris. Quis etenim in judiciis cum summa laude versatus est? LUBOMIRII. Quis comitiis sapientissimè atq; è scientia omnium præfuit? LUBOMIRII. Quis in Senatu ita, ut authoritas loci munerisq; istius gravissimi postularet, locutus est? LUBOMIRII. Quis legationibûs, quis magnîs muneribûs cum laude defunctus est? LUBOMIRII. Quis Patriæ consiliô subvenit? quis ei salutem attulit? Quis bella sapientissimè administravit? LUBOMIRII. atq; hic complures de gente LUBOMIRIORUM viros, â quibus ea, quæ modo diximus, gesta sunt, adducere oporteret. Sed quis eos omnes, quis de singulis illorum, non dico accuratè omnia enarret, sed summatim strictimq; aliqua referre queat? SEBASTIANUS ille Voynicensis Castelanus, qui STEPHANO Rege floruit, quàm fuerat in DEUM atq; in Patriam liberalis, alterum testantur ædes Divinæ magnificentissimè ab eo constructæ, ornatæ atq; ditatæ, alterum ex eo liquet, quòd Rege STEPHANO vitâ functo ad tuendos Patriæ fines, huicq; Regi, SIGISMUNDO jam subrogatô adversûs Maximilianum Austriacum arma per Poloni-

loniam circumferentem, militem in sua stipendia scriptum, Patriæ suppeditavit, & ambobus istis Regibus, in Moschum alteri ad Livoniam, alteri ad Smolenscum contra eundem hostem magna mittebat subsidia: quod Scepusiensem tractum ingenti pecunia ab Hungaris redemit, ac Regno suo asseruit. Quàm multa pariter non levis momenti negotia in Republica confecit STANISLAUS Cracoviensis Palatinus, qui SIGISMUNDO tertio in vivis agebat! Ille CHODKIEVICIO comes contra Turcam, ac victoriarum socius aderat; tum, CHODKIEVICIO è vivis excedente, ipse Dux & Victor immanissimi hostis Osmani Turcici extitit. Tartaros postea cum Duce suo prædam in Polonia agentes profligavit. Morbô tandèm impeditus id se vehementer dolere dictitabat, quòd Patriæ neq; manu neq; consilio, (en optimum Patriæ civem) prodesse posset; quod tamen, milite suis sumptibûs afflictis tum Patriæ rebus suppeditatô abundè compensavit, & quod ad summa ejus ornamenta spectat, Principis Imperii titulum à FERDINANDIS binis sibi oblatum accepit, licet non induit. Quis demùm quantusq; vir iste fuerit, extat de eo honorificentissimum testimonium Pieglovii: *Patrem* (verba sunt illius) *egit Patriæ priusquam Filium exprimere posset. Patriam sub Chotimo Patriæ restituit, non major Regni propugnator quàm fidei; quot aras per Provinciam DEO, quot religiosis cænobia, tot suæ memoriæ mausolea fundavit.* Eâdem in DEUM munificentiâ, copiîs ad usus Patriæ magno sumptu sustentatîs, fide ac observantia erga Regem JOANNEM tertium; à cujus partibus nulla vi ac persvasionibus abduci potuit, confectîs publicîs negotiîs

quàm celebris fuit ALEXANDER Cracovienſis Palatinus. Tum de GEORGIO Sebaſtiano Supremo Regni Mareſchalco, ac minore militiæ Regni Præfecto, quid ad ejus merita amplum atq; illuſtre afferri poteſt? Cùm adoleſcens extra Patriam ageret, à Philippo Hiſpanienſi annulô inſignî, pro ea, quâ apud Regem floruit, gratia, eſt donatus; in Patriam mox ubi rediit, ſumma omnium voluntate, tanqnam verus ejus Filius, cultus: Vladiſlao Regi, etſi in multis, quæ non è juſtitiæ lege ac non e commodo Patriæ videbantur (en viri conſtantiam) adverſaretur, neq; ad ea probanda ullis muneribûs Regiîsq; promiſsîs adduci potuit, in paucis tamen carus; Turcis gravis, multîsq; cladibûs eorum potentiæ illatis memorabilis: formidabilis RAGOCIO; Regi JOANNI CASIMIRO, cùm eum multi, Svecicâ potentiâ perterriti, deſererent, ad ſigna hoſtis tranſirent multi, uſq; ad periculum fidelis, ac de CHMIELNICIO glorioſiſſimè triumphans, ſignaq; militaria ei erepta ad Regem afferens, imô etiam ex invidia malorum hominum iratum ſibi Regem ſentiens, ejuſq; iram tam in ſe armatam cùm precibûs atq; officiîs flectere non potuit, vi manuq; fortiter ſuperans, Regi tamen ſupplex & obſequioſus ac in officio perſiſtens. Non aliena à ſtipite poma digni Parente Filii: STANISLAUS ſupremus Regni Mareſchalcus; qui tantum eruditione claruit, ut permultos non vulgaris ſapientiæ libros publici juris fecerit; tantum prudentiâ atq; conſiliô valuit, ut poſt multa irrita, eo Moderatore comitia optimè ſucceſſerint; tantum apud Rempublicam acceptus, ut ab ea publicô ad Varſaviam agrô *Ujazdow* dictô fuerit donatus, tantum divinis rebus addictus,

ut

ut multas ædificaverit Ecclesias; binosq; homines mortuos, quos sepulturâ carentes sepeliri jusserat, hospites apud se (ut fama est) multaq; sibi de animæ immortalitate narrantes, ac pro officio Christiano gratias agentes, habere meruerit. Nec absimilis ei frater HIERONYMUS AUGUSTINUS Cracoviensis Castellanus Duxq; exercituum Regni supremus: qui & domi multa speciosa munera egregiè gessit, &, sicut ad Viennam insignia roboris atq; virtutis edidit specimina; ita in Vallachia triumphis inclaruit illustrissimis. Alter quoque frater, GEORGIUS DOMINICUS, Cracov: Palatinus, tum bellica laude adversus Turcas in Ukraina & Austria conspicuus, tum vel maximè præclaro facinore Torunii edito memorandus: ubi ille se pariter Divini honoris vindicem ostendit acerrimum, & animum suum, Senatore, eoq; LUBOMIRIO, dignum monstravit; dum neq; malitiosis hominum ab ortodoxa fide alienorum conviciis, neq; amplis Principum promissis ab æquitate dimoveri potuit, quin nimirum dignas sacrilega temeritate ab iis, qui Divinam Matrem contumeliâ gravi affecerant, pænas experiretur. Bini jam illi fratres commemorandi nobis veniunt: THEODORUS Cracoviensis Palatinus vir multis laudibus ornatus; & JOSEPHUS Palatinus Czernichovien: summam & ipse laudem assecutus, RZEVUSCIÆ SPONSI fortunatissimi Matris optimæ parens lectissimus. Ad cujus porrò Fæminæ ornatissimæ commendationem tantam, quantâ nullibi majorem requiras, satis dicere fuerit: quòd LUBOMIRIIS orta, quòd non nominis tantùm sed & virtutis illorum hæres sit effecta. Utq; per multos LUBOMIRIOS; quos virtute summisq;

laudibûs egregie imitata eſt, non eamus; unam illam Chriſtinam GEORGII SEBASTIANI Marcſchalci Supremi & minoris copiarum Præfecti filiam, FELICIS POTOCCII Caſtellani Cracovienſis belliq; Ducis ſupremi Conjugem, vivam in ea intueri videmur. Pietate virtutiſq; ſtudio excelluit illa; excellit & iſta. illi acre planeq; divinum ingenium; & huic non mediocre. animus illi excelſus gravitaſq; magnifica, & huic frons generoſa oriſq; majeſtas decora liberalis illi facies; & huic vultus ad lepores gratiasq; omnes compoſitus. comitas illi mirifica; & huic affabilitas humaniſſima. in divos illa ſummopere liberalis; & hæc munifica. illa pulchrâ rerum in orbe geſtarum notitiâ ſingulariter commendata; & hæc earundem non imperita: ut adeò de ea Salomonem locutum jure intelligas,ac de ea meritò dicere poſſis: *manum ſuam miſit ad fortia:manum aperuit inopi: excendit palmas ad pauperem. &, quod reliquum jam eſt: nobilis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* Imò verò quàm nobiles utriq; SPONSI hodierni Parentes, quàm nobile par iſtud ſit, nemo eſt, qui planè non videat. Nobile nominis amplitudine, nobile majorum gloriâ, nobile laudum ſuarum ſplendore, nobile tot illuſtriſſimarum Proſapiarum ſangvine, ex utraq; parte,quaſi ex fonte quodam uberrimo,magnificè ſe ſe efferente: ut adeò clariſſima juxtà atq; vetuſtiſſima nomina: OSTROGIOS,WISZNIOVIECCIOS, SOBIESCIOS, RADIVILIOS,SANGUSCIOS, SZENIAVSCIOS, LUBOMIRSCIOS, CZARTORISCIOS,OGINSCIOS, alioſq; cum his conjunctos: in RZEVUSCIANA Domo collecta pariter revearis. Videant jam omnes, quanta ſit RADIVILIANI

atq;

atq; RZEVUSCIANI nominis amplitudo, quanta nobilitas atq; potentia, quanta dignitatis similitudo & affinitas; atq; hinc intelligant: quantum felicitatis publicæ intersit, quanta Patriæ enascatur utilitas, quantum ei roboris & firmitatis accedat; Gentes istas tam amplas secum conjungi, RADIVILIAM RZEVUSCIO sanctô matrimonii vinculô consociari. Quæ ut felicitas ista non minùs ex propria SPONSORUM commendatione, quàm ex Familiæ eorum amplitudine, in Patriam derivari, ostendatur; de propriis SPONSORUM laudibus, quæ multæ eæq; singulares ac paucis concessæ sunt, altera orationis parte dicere jam ingredimur; ut quàm magna ab iis ornamenta in Patriam proficiscantur, nobiscum reputemus.

PARS SECUNDA

SEntentia eorum est, qui cælestium rerum naturæ contemplandæ atq; cognoscendæ dant operam, lunæ, eam inesse naturam, ut omni luce ex se sit destituta; illumq; quem rebus terrestribus, sole in alia aliqua mundi plaga (sive ille ipse cursu motuq; suo ad hanc illamve terræ partem deferatur, sive eo immotô, centrumq; mundi, obtinente, terra hac illave suî parte ad eum accedat) existente, impertit splendorem; à sole sibi nonnisi affusum commodatumq; habere. Etsi igitur non sua sed aliena luce Planeta iste fulgeat, meritò nos tamen illum aliis rebus, quibus non idem concessum est, anteponimus, propterea: quòd & Cœlum mirificè exornat, & Terræ, rebusq; ejus omnibus summam utilitatem affert, lucem illis, sine qua surda cæcaq; omnia in tristissimo jacerent silentio, afferendo. At verò id ei maximopere est in-

commodum, atq; illiberale, quòd ex se nihil lucis atq; splendoris habeat;cùm enim ita à sole recesserit (quod statîs orbis conversionibûs evenire solet)ut eum inter ac illam, media terra sit interposita, ignobilis atq; obscura latere cogitur, obscuritateq; sua non solùm animantibus äërem pestiferum afflare, cæterisq; rebus in terra collocatis vitia non pauca afferre, dicitur, sed solem etiam ipsum, cùm se ei objecerit,obscurare. Rem planè similem in hominibus fieri videmus, usuquè ipso experimur. Si namq; filii nativum sibi splendorem inditum habeant à parentibus, magno id illis ornamento esse, nemo est,qui non confirmet. Quód si in eis probitatis nihil, nihil præclari in rebus eorum gestis eluceat: si illi propriæ lucis nihil in se complectantur, atq; ab ea, quæ illis cum sangvine communicata fuerat, Parentum gloria, longè discedant; non tantûm illi ipsi ignobiles atq; indecori vivent, terræ pondus inutile humi objecti jacebunt, verùm Parentum etiam illustre nomen tenebrîs atq; obscuritate afficient, tantumq; Majoribus suis de luce detrahent, quantum ab eis, si in actionibus præclaris ipsi versarentur, claritatis in se proficisci, sentirent. Jam si ita se rem habere, nemo non planè comprobet, tum de te,Illustrissime STANISLAE,de Te quoq; CAROLINA Celsissima, Sponsi fortunatissimi, quid ex eo inferre quisq; atq; sentire debeat, luculenter omnes perspiciunt. Si namq; à Parentibus atq; Majoribus, universaq; Familia vestra, nimium quantùm splendoris in vos derivatum est; quantum obsecro incrementum lux ista capiet, cùm vestra ipsorum ornamenta, velut ignibûs latè se porrigentibûs, novi quidam accedent ignes? Hæc verò quan-

ta

ta quanta sunt, quæ certè maxima sunt in vobis decora, non vobis ipsis magis quàm Patriæ universæ honorem atq; splendorem efficiunt mirificum; non secus ac sol iste, quem videmus, purissimus, non sibi sed mundo universo lucem radiosq; adspergit. Sicut namq; horti floribûs, locîs, pratîsq; circumjacentibus campi exornantur; ita ex hominibus illustribus Respublica decus suum nanciscitur. Et verò, si in quovis homine illud, quod ad decorem spectat, laudari solet vehementer, tum profectò majorem apud omnes meretur laudem, eoq; majore intuentium oculos complet admiratione, quo sublimiore in gradu, quo nobiliore loco ii homines, in quibus decor virtutisq; lux aliqua inest, sint constituti: ea plane ratione, quâ gemma quæpiam pulcherrima, atq; pretiosissima, & si præcipuum sibi à natura inditum habeat splendorem, multò tamen spendidior, oculisq; gratior accidit, cùm in aureo annulo exornat digitum, quàm si loco aliquo ponatur humili atq; obscuro. Ergo jam, quó nostra spectat oratio, ut commonstremus, quantum decoris à vobis, CELSISSIMI ILLUSTRISSIMIQUE SPONSI, Respublica habeat, Vestramet ipsorum decora atq; ornamenta in medium sunt nobis adducenda; ut, quemadmodum flos flori, stella stellæ, gemma adjuncta gemmæ, pulchram jucundamq; oculis exhibet imaginem; ita vestrorum ornamentorum conjunctio Rempublicam ornatam mirificè reddat, atq; decoram. Quidquid enim in Vobis, veluti in magnis quibusdam luminaribus, decoris elucet; splendebit id in domibus, in Familiis conspicietur, spectabitur in foro, in delubris monstrabitur, in Filiis cernetur, videbitur in

civitate, in Regno demum univerſo eminebit; cum-
què nominis Veſtri amplitudine veſtrarum laudum
atq; commendationum fama diffundetur. Quarum
laudum; quia & magnitudine ſunt eximiæ, & excel-
lentiâ ac numerò propè infinitæ; lineas in paginis
iſtis ducere, ſingulaſq; verbîs complecti, nec noſtræ
eſt facultatis, nec rationi operis iſtius aptum atq;
conveniens. Summam hîc igitur illorum ad tria ca-
pita referendam cenſuimus, ut ne nihil omnino di-
xiſſe videamur. Cùm etenim in omnibus rebus, ar-
tibus præſertim ac diſciplinis liberalibus, ita fieri a-
met, ut ille demum undequaq; perfectus, omnibûſ-
quë numerîs abſolutus evadat, cui, & quid quave ra-
tione agendum ſit, rectè ab aliquo inſtituatur, & vi-
a, quâ ad præfixum ſcopum collineare, debeat, pro-
ponatur, & illi demum ipſi ad ea, quæ optima viſa
ſibi fuerint, perficienda, idonea inſit indoles, ac vo-
luntas ad id, quod didicit, opere complendum ala-
cris ſit, atq; inflammata; tum in vitæ, ad omnem ho-
neſtatem inſtituendæ, ratione, tria hæc omnino ſunt
neceſſaria: Educatio liberalis, idoneus ad præclara
quæq; amplectenda animus, voluntas deniq; ad ea
exercenda propenſa, atq; inclinata. Ut itaq; ab eo,
quod primum hîc eſt, initium ducamus, quàm libe-
raliter, ILLUSTRISSIME, â Parentibus Tuis es in-
ſtitutus, dicere, an admirari potiùs nobis neceſſe ſit,
non facile nobiſcum conſtituimus. Noverant Sa-
pientiſſimi atq; prudentiſſimi Parentes Tui, cum Te
ſibi datum eſſe Filium, qui olim civis Patriæ futurus
eſſes: itaq; infantiam tuam ſic informari curabant,
ut non tantùm civis optimi partes explere, ſed
Patrem etiam Patriæ gerere ex æquo poſſes; ut, hone-
ſtiſſi-

ſtiſſimam vivendi rationem edoctus, & tuum nomen immortalitati commendares, & Reipublicæ univerſæ quàm maximô eſſes ornamentô. Noverant inſtitutionem educationemq́; pueritiæ, fundamentum eſſe omnis reliquæ vitæ tum publicæ, tum privatæ. Noverant, mollem illam juvenilis ætatis ceram, quæcunq́; ſibi veſtigia impreſſa fuerint, fideliter, cùm ſeverioribus annis tenacitatem induerit, ſervaturam. Noverant, teneram mollemq́; plantam, quoquò demùm eam inflexeris, in eam partem, cùm robur aut pinus procera fiet, pronam atq́; inclinatam exſtituram. Neq́; tantùm curabant, ſed ipſi ſuiſmet manibûs pretioſiſſimum hanc tractabant unionem; ſuum ipſi hunc ocellum cuſtodiebant: fingebant ipſi mores, atq́; virtutem docebant: ipſi infanti tenello animos, virô dignos, inſpirabant; ut adeò Catonem in filio educando ſolertiſſimum atq́; diligentiſſimum putares hunc, illam Corneliam Gracchorum Matrem, in filiis curandis atq́; liberaliter inſtituendis ſolertiſſimam. Nihil itaq́; prius atq́; antiquius habebant Parentes optimi, quàm ut primos illos tuos ætatulæ annos pulcherrimîs modeſtiæ, verecundiæ, pudoris, Religioniſquè aſtringerent inſtitutîs; perſvaſum certumq́;, apud ſe habentes, talem Filium ſuum in reliqua vita, talem in adminiſtrandis Reipublicæ muneribus futurum, qualis ſua educatio præceſſiſſet. Ita ſanè res eſt: ex hoc etenim fonte, omnia vitæ profluunt ornamenta, omnis in rebus atq́; actionibus ornatus. Hinc contra vim fortunæ præſidia petenda, hinc in adverſis fortitudo, hinc conſilium in dubiis, hinc in proſperis moderatio, hinc gravitas in inceſſu, in vultu authtoritas, in vultu habituq́; frugalitas. Summô itaq́;

 ſtudi-

ſtudiô, omni ope atq;, induſtriâ Parentes Tui operam dederunt, ut iis formareris legibûs, iis inſtitutis inſtruerère, quæ omne virtutis decus, quantum quidem per ætatem licuit, præferrent, atq; adeó ut ad laudem viri, ſummâ excelentiâ præditi, fingerêre, hîſq; quaſi primîs coloribûs ita tua formaretur ita compararetur adoleſcentia, ut magni viri ſpem atq; expectationem omnibus exhiberet. At veró cùm hîc ſibi omnia pro ſententia votisq; evenire cernerent, cumq; ex ungve (quod ajunt) Leonem, exprimis iis, quæ ducta erant, lineamentis; cùm Te ſuum Filium eſſe cognoſcerent, qui, ſi illorum non eſſes, illorum eſſe merereris, cùm è parvis illis puerilibus progreſſibus omnes omnia bona pollicerentur, ſcirentq; Parentes providi (quod Licurgus aliiq; homines in rebus humanis non mediocriter verſati ſcriptîs ſapientiſſimè tradiderunt) plurimum ad rem facere, ut ne juvenes otia cenſectarentur, ac in deſidiâ vitam extraherent, nè primi illi, qui in vita humana omnium ſunt optimi (quod dicit Virgilius: *optima quæq; dies miſeris mortalibus ævi prima fugit*) anni dieſq; nullo commodo atq; emolumento abirent, in omni optimarum diſciplinarum genere inſtituendum te, cúm jam ætas & indoles artes ſeveriores ferebat, optârunt. Hunc itaq; in finem optimos quos viderant, omnium conquirebant magiſtros; rogabantq; eos atq; hortabantur impensè, ut Filium, tanquam pretioſiſſimam rem, fidei ſuæ commiſſam, cuſtodirent, optimîs præceptîs imbuerent, ad id, quod honeſtum eſt, ardore ſummo, atq; cupiditate inflammarent, in honeſtæ rei odium atq; horrorem, dictionis cùm ſolutæ tùm numeris aſtrictæ vim atq; præſtantiam, edocerent, natura-

lium

lium rerum cognitione imbuerent, rerum in toto orbe, in Patria præsertim gestarum notitiam ei compararent: quas in partes mundus sit divisus, quæ ubi jaceant terræ, maria, fluminaq; diffundantur, quæ & ubi posita sint Regna, quæ in regnis civitates, in civitatibus leges ac disciplinæ vigeant, doctrinam illi traderent, Patriæ instituta in animum illius insinuarent, lingvarum cùm Gallicæ atq; Italicæ tum præsertim Latinæ atq; Nativæ elegantiam combibere eum facerent. Hoc illi à magistris contendebant: hoc inculcabant filio;hoc,ut filius summô studiô prosequeretur, monitiones addebant, ostendebant præmia pretiumq;positæ in discendo operæ:hoc ut Præceptores præstarent, munificentiâ eos sollicitabant, gratiasq; illis summas non habebant tantùm, sed & referebant liberalissimè, opes omnes infra filium longè ponentes, easq; non propter aliud quid magis, quàm ut in filios ita profunderentur,obvenisse sibi,autumantes. Hujus rei causâ, ut ne Filius, domi delitescens, domum tantùm cogitaret, ad opulentæ Domûs splendorem,ad favores Patris, ad Matris amores respiceret, suis eum ab oculis divellunt, Varsaviæ in publica luce collocant, Viris integerrimis in disciplinam tradunt, eodem cum aliis tectô, mensâ eâdem, iisdem legibûs vivere, iisdem artibûs institui volunt. Tum ibi non mediocriter excultum, in literarum studio, in morum institutione,in cognitione rerum naturalium liberaliter versatum, non ad otia atq; quietem jam se recipere, non in studio cursuq; cessare, sed quasi juvenem solem ulterius progredi, diversas Regiones adire, Galliam, Germaniam atq; Italiam invisere, multa diversarum gentium instituta, multosq;

hominum atq; populorum mores cognoſcere, condiſcere varias regendarum Urbium atq;, Provinciarum rationes, Rerum-publicarum ritus varios intueri jubent. Ita quidem cum STANISLAO ſui, non aliter, quoq; ſui cum CAROLINA Parentes. Cogitabant illi, ſingularî quodam DEI immortalis beneficiô & numeroſam & egregiam ſibi prolem conceſſam. Neq; ſatis ſe Parentes eſſe arbitrabantur, quòd prolem genuiſſent; Parentum officiô ritè ſe defuncturos rati, ſi, quibus vitam dederunt, eiſdem id quôq;benè vivere poſſent largirentur. Cogitabant, relicturos ſe illis fortunas, opeſq; luculentiſſimas, ſed ſimul ad illam Critolai libram animum advertebant; in qua homo ſagaciſſimus, cùm hinc animi illinc corporis bona imponeret, tantùm illa his pondere prævalere putabat, ut terram univerſam & maria omnia deprimerent. Cogitabant, Filias eſſe ſuas, ſuo igitur nomine; virtute ſua dignam eis inſtitutionem procurabant, ac ſicut ipſi & à natura, mirâ quadam ſogacitate, mentiſq; vi planè Divina erant ornati, & ab induſtria optimîs communiti præſidiîs, ita prolem ſuam quàm ſimillimam ſibi efficere, conabantur. Idquè ut cum maximè Mater illa Fæminarum lectiſſimarum Matronarumq; maximis ubîq; laudibus celebratarum facilè Princeps, nihil non fecit quô Filias ad omnem honeſti atq; decori laudem effingeret. Priſcam imprimis religionem Chriſtianæq; pietatis ſeveritatem in animis earum inſitam voluit, ea cognitione mentem illarum primò imbutam cupiebat: quòd homines eſſent, quàm quòd eis Principibus naſci contigiſſet. Hinc aberat à menſa immoderatus luxus, hinc à veſtitu ſuperbia, illiberalitas à jocis, hinc cul-

tus

tus ſeverior, ſermo innocentior, inceſſus modeſtior, occupatio quæ & Principem deceret, & puellam honeſtiſſimam, labore nonnihil atq; moleſtiâ innocuá exerceret: Hinc frequens Divinarum rerum uſus, comprecationes manè ſeròq; religioſiſſimæ, inſtitui ſolitæ. In quibus omnibus cum CAROLINA mirè excelleret, mater lætabatur ſummoperè. Creſce, ajebat, ocelle mi, creſce, puellarum ſvaviſſima, ingens olim parentum ſolatium, ſummum ornamentum Familiæ, Gentis Tuæ hominumq; omnium atq; deorum delitiæ maximæ futura. Age, dicebat illa, o bona mater: tuîs ego, dum vivam, vivam inſtitutîs: nullam niſi tuo ductu viam ingrediar: nunquàm me à Tuo ſinu divelli patiar: nuſquam à Te nuſquam à meis erga te officiis diſcedam. Sed adeſdum CAROLINA! Mater tua! Quid illa? quid mater dulciſſima? mene protinus ad ſe venire jubet? non ſane negotii mihi aliquod imponit? haud iſtud quidem; illiberale quidpiam in me advertit? minimè verò. Quid tum? ut valet? quô utitur animô? num calamitatis atq; perturbationis aliquid ei accidit? Nihil minus. num infirmitate eſt afflicta? valetudine impedita? num curîs atq; negotiîs gravibûs implicata? nihil jam illi curæ, doloris nihil poteſt accidere. Quid igitur, Deus immortalis! Ergo dicendum eſt? Dic age. CAROLINA, audis? Ut cùm diligentiſſimè. Mater! Quid Mater dulciſſima! Mater! vixit! Me verò miſeram! me Filiarum calamitoſiſſimam! Mater vixit? Eam mihi Matrem mors ademit, quæ me, ex quo primam lucem hauſi, tam amanter nutrivit, tam diligenter ad optimos mores inſtituit, tam accuratè erudivit, tam religioſè ad pietatem compoſuit, tam ardenter ad decentiam omnem excitavit. Ea mater è

L vivis

vivis nunc diſceſſit; nunc, inquam, cum fructus aliquos induſtriæ atq; laboris in mea educatione collocati percipere deberet. Egone diem hunc tam funeſtum ac luctuoſum, tam citò adventurum ſperabam? Ego ne, mater, hunc fletum lacrymaſq; inanes pro tuo in me ſtudio, pro ærumnis meâ causâ ſuſceptis, tibi rependo? Eò ne verba mea recidunt, quibûs affirmabam, futurum aliquando, ut tui anni graviores in ſinu meo conquieſcerent? Sic vota ſic mea deſideria corruunt, atq: labuntur miſerè! O! Spes hominum fallaces! o vanas cogitationes noſtras! o fortunam meam, ſtatumq; acerbiſſimum ſummèq;deplorandum! Verùm deſine plorare CAROLINA, vivet in te, quæ immortalem vitam vivere digna fuerat, mater Tua optima. vivet in ea, quam, cùm inſtitutione optima, tùm exemplis ſuis egregiis te edocuit, vivendi ratione. Quod enim illa tibi fideliter communiſit,tu ſuſcepiſti ac conſervâſti ſtudioſè,omniaq; ea,ad quæ nutu bonæ matris impellebaris, in animum alte demiſiſti. Tam felicem etenim nacta es indolem, tam bonum DEUS optimus maximus indidit tibi animum, ut nihil, quod bonum atq; laudabile eſt, non condiſceres, nihil non ſummô ſtudiô adamares, & continuò amplecterêre. Nihil enim aſſiduæ curæ, nihil ulla proficerent ſtudia, niſi tu eo ingenio, ea, qua polles, prædita eſſes indole excellentiſſimâ, niſi ſubjectæ laudum ſcintillæ in Te invenirent, quò ſummum gloriæ ſplendorem excitarent. Etenim, niſi in eo,qui docetur,idoneus animus atq; indoles præclara inſit; quidquid demum illi propones, quidquid inculcabis, ſurdo fabulam narraveris; &, ſi omnia, quæcunq; poſſis ac debeas, accuratè feceris, nihil fe-

cisti

cisti; nunquam te obtenturum, ut aut ad lyram pinus tibi choreas ducat, aut lapis malleîs contusus duritiam ponat, leonis aut aquilæ faciem induat, Æthiops vel mille fontibûs ablutus candidum aquirat colorem. Agrum itaq; bonum, CAROLINA referebas; qui commendata sibi multo cum fænore restituere solet. In quo si illustrissimum STANISLAUM Tuum tecum conferamus, æqualia omnia in te atq; in illo videbimus. Quid enim in te ad summam excellentis animi laudem desideratur? Quid deest in illo? quod etsi animi dona, corporis ornamentîs longè antecellunt; tamen, ut rectè opinatur Plinius, magnis animis corpora divinitùs præparantur, magnitudinis illius, quâ præstant animi capacia. Unde, quis est, qui in vobis non demiretur vehementer illam, quam Tuæ, STANISLAE Illustrissime, & tuæ, CAROLINA Celsissima, fronti natura inspiravit majestatem? Verùm cùm ad nullius animum, oculi nostri valeant penetrare, ex actionibus certè, quæ ab animis proficiscuntur, de cujusvis animi qualitate integrum est judicare. Hoc itaq; siquis in vobis accuratiùs consideret, quis satis animorum vestrorum excellentiam poterit demirari? Quæ in Te, STANISLAE, quæ in Te, CAROLINA, vis ingenii? quæ judicii gravitas? nihil est humanæ menti penetrabile, quod non vos ingenii acie penetretis? Quæ animi celsitudo cum demissione ejus mirè consociata? hæc vos omnium hominum communioni ita commodat; ut voluntates studiaq; eorum maxima vobis conciliet? illa supra homines ita vos evehit, ut res omnes infra vos positas esse arbitremini. Non vos aura fortunæ, favores suos vobis afflantis, abripit, non auri fulgor cupiditate in-

flammat: non splendor Nominis atq; Honoris despicientiam humilium ac notæ obscurioris hominum in vobis concitat? Quis impetus ardorq; voluntatis ad ea consectanda, quæ honesti atq; decori speciem præferunt? quæ commiseratio erga afflictos? quanta clementia erga oppressos? quæ erga omnes comitas atq; liberalitas? Omnia certè hæc cùm in utroq; vestrûm sunt simillima, tum certè summa ac maxima in ambobus. Sed fieri non rarò solet, ut, qui & à natura præclaras dotes acceperunt, & à disciplinis optimis liberaliter sunt instructi atq; exculti, vitiô suô conculcent omnia, omnia immoderatâ vivendi licentiâ turpiter commaculent, lucem illam nativam, ab educatione auctam atq; amplificatam, aut sub modio socordiæ ponant, aut vitiorum caligine obscurent, obruant, ac penitùs extingvant. A Vobis labem ejusmodi tam longè abesse videmus, quàm pulchrè indoli à natura ad bonum quodvis inflammatæ subjectos ab educatione igniculos, vestrô studiô ardentissimô, voluntate vestra ad lucem semper aspirante, amplificatos, ac latè diffusos conspicimus; ita, ut quasi divinitùs de præsenti consociatione vestra longè ante edocti, ad id ambo conspiraretis, in id omne studium atq; industriam contenderetis, ut, quemadmodum generis claritate, cæterîsq; cùm naturæ tum fortunæ donîs similes estis, ita moribûs ac præstantissima vivendi ratione pares efficeremini. CAROLINA, inprimis à morte Matris suæ lectissimæ juvenis admodum relicta, ita se in omni isto vitæ curriculo virginali cum pudicitia accuratè gessit, ut Parenti curam de se atq; solicitudinem anxiam ac molestiam omnem ademerit. Et quamvis non deerant multa, tum quæ

puel-

puellam imbecillam terrere atq; affligere non leviter possent, tum quæ ad ludos solutiores provocare, ad levitatem, in tanta præsertim rerum copia, concitare; tamen ita illa moderabatur omnia, ita in omnibus rationem modumq; tenuit, ut nec ulla frangeretur molestiâ, nec lætitiâ ullâ insolentiùs efferretur: semper illa quidem alacrî animô, facie læta, blando vultu suis rebus continenter instabat; severitatem tamen in omni agendi ratione ita coluit, ita sedulò & accuratè vitam suam instituebat, ut semper primam operam studiumq; rebus divinis impenderet. Nunquam illa divinæ rei non interfuit, nunquam sacerdoti verba pro concione facienti singulari attentione non adstitit. Sæpe illam prima lux in sacra æde salutabat, postrema sæpè domum inde reducebat. Videbant eam ac mirabantur vehementer parietes sacri aræq; divinæ humi positis genibûs, junctis manibûs, in pia precatione longas horas collocare, oculos mentemq; in cœlo defigere, totam Numine plenam ad Christiana sacra accedere: cùmq; omnes ex ejus admirabili virtute jucunditatem summam perciperent, ad pietatem mirum in modum inflammarentur; tum pauperes hominesq; id genus calamitosi ejus munificentiam, singularem ejus in ferendis illis subsidiis, in obsequiis exhibendis, in præstandis Christianæ charitatis officiis alacritatem experti sunt incredibilem. Quâ verò temperantiâ, quâ abstinentiâ ipsa vivebat? jejuniis se illa verberibûs item atq; inediâ corpus suum afflictare, summa cautione, nequid illiberale ex ore excideret, ne quid inhonestum ac indecens ad castissimas aures ejus perveniret, providere, ab inani verborum profluentia, ac mulieribus

usitata loquacitate abstinere, silentiô atq; taciturnitate (quod mulieribus præsertim summo est ornamento) oblectari, nec quidquam, nisi quod res & locus ferret, quod ratio svaderet, idq; modestissimè dicere, nunquam effusiùs ridere, raró admodùm, idq; cum summa repugnantia, in publicum prodire; cùm tamen adeò liberali atq; honesta facie splenderet, cum quadam nativi candoris & ruboris svavitate, ut quicunq; eam conspexissent, laudes ejus omnibûs præconiis commendarent. Ita præditam non claritas generis, non vestis splendida, non opulenta domus, non animus excelsus ad despicientiam humilium etiam hominum efferebat, æqualibus humanissima, benigna humilibus, in famulos liberalis, munifica in pauperes, erga afflictos misericors, apud omnes summè gratiosa. At qualis tandem putamus Parenti celsissimo fuit; quibûs eum non officiis coluit, quo non honore, studiô atq; observantiâ demereri semper studuit, qua non alacritate in omnibus ei morem gerebat, ad nutum se ejus studiosè fingebat? Vellet Parens, præstabat Filia; moneret ille, hæc, quid se vellet, expectabat: ille gauderet, lætabatur hæc atq; gratulabatur summoperè: infirmitas illum haberet, aut fortuna adversa premeret, mærebat hæc, solatium quærebat, mæsto Parenti aderat, divinitus opem implorabat, ita ut si sua res ageretur, non magis pro ea laboraret. Hinc factum est, ut eam Parens singulariter adamaret, gauderetq; vehementer, eam se habere filiam, in qua nihil ad laudem atq; commendationem desideres; quæ & virtute cùm admirabili floreret, &, quid quid, ageret, talè omnino esset, quod genus ejus sublimè summè commendaret, Parenti spem magnam faceret, illi verò

ipsi

ipſi honorem atq; exiſtimationem incredibilem compararet. Etenim illa in agendo provida atq; modeſta, illa in loquendo ſvaviter gravis ac verecunda, illa in omnibus ſtudiis, in adeundis atq; conſectandis rebus omnibus animô excelſa, mente ſubtilis, ingeniô acuta. Quæ enim ejus ſtudia, quàm honeſtæ res, quibus illa operam dare in delectamentis habuit? Libros ab ingenio, ab arte, atq; argumento commendatos perquirere, eos diligenter evolvere: multa ex eis exſcribere, ſimilia ab induſtria ingenioq; ſuo depoſcere. Bibliothecam elegantem conſtruere, librîs pulcherrimîs exornare, in iis luſtrandis dies fallere, jucundiſſimum illi atq; uſitatiſſimum. Cor illi Numine divino inflammatum, ſubtilitatem ingenio Pallas ipſa inſpiravit, vultui ſvavitatem, honorem fronti Gratiæ vivæ afflârunt. Ades nobis Illuſtriſſime STANISLAE: te quoq; conſiderantibus ita multa ſunt ea, quæ cum laude egiſti, agiſq;, ut cogitandum meritò ſit, quænam laudum tuarum ſine piaculo poſſint præteriri, quàm neceſſe ſit perquirere, quæ accurata dictione aut ſpecioſa oratione debeant exornari. Cùm ea jam eſſes ætate, eaq; inſtitutione, ut tibi ipſi rebuſq; publicis vivere maturus viderêre; libertatem jam nactus, tibiq; ipſi relictus, non eam amplexus es vivendi rationem, ut otia voluptateſq; conſectareris, ornareris ſplendidè, cuſtode remoto, gauderes equîs canibûſq;; ſed tibi, ſive à ſomno excitatus ad tuas te accingebas occupationes, ſive, die exacto, ad lectum concedebas, ea ſemper ante oculos cogitatio verſabatur, ii mentem exagitabant ſtimuli, eos tu tecum ubiq; ferebas, iis indormiebas, natum te eo loco, quo Cælitum hominumq; oculis ſemper eſſes

expositus, iis te institutum disciplinis, quæ tibi ad honestissima omnia viam monstrarent sternerentq;: debere te imprimis Omnipotenti Deo obsequium, laudem honoremq; quàm maximum; debere Parentibus majoribusq; tuis integritatem famæ nominisq;, quòd illi facinoribus gloriosis acquisiverunt; debere Reipublicæ, cui natus es, ea omnia, quæ ad salutem ejus procurandam sunt necessaria, debere tibi ipsi decentiam statui nominiq; tuo convenientem ac bonam de te apud omnes opinionem. Hæc & alia ejus generis ita animum tuum pervaserunt, ut hanc aut similem ipse tecum disceptationem institueres: aut mihi in humili cum gregibus mortalium jacendum, aut cum severitate honesta ad virtutem virtutisq; præmia, famam laudemq; immortalem, connitendum. Quid? mene otiô torpere? men, cùm alii in pulvere decoro luctantur, palmam capiunt, in stadio cessare? nihil laboris honesti, pœnæ nihil suscipere; cum alii certando coronas consequantur? Ite fluxarum rerum vanitates: ite ludi inanesq; joci: age anime: majora vulgô, majora iis, quos cum vulgo promiscuè humilia juvant, audeamus: ad gloriam, ad virtutem omni ope studioq; contendamus. Quæ cùm ita cum animo tuo constituisti, tum constituta omnia atq; in animo sapienter ordinata, adeò strenuè tantaq; cum integritate opere complevisti, ut egregia virtutum semina à natura atq; à nobili educatione domesticaq; disciplina tibi insita, labore, industriâ, diligentiâ sic à te culta fuerint, ut, quamvis illa uberes proventus reddiderint, multò tamen majores fructus ab iis, qui oculos in te convertebant, expectarent omnino; omnes enim in te non modo vivam Parentis, Avi, Proaviq; tui,

clarissimorum, quod diximus, in Republica virorum imaginem impressam intueri videbantur; sed persvasum omnino sibi habeant; te omnino Illustrissimos Majores tuos rerum gerendarum gloriâ æquaturum. Quid verò aliud à tua florente ætate, sanctè ac sapienter confecta, poterat expectari; cui fixum destinatumq; erat in animo, præclara semper ac magnifica mente concipere, ardua atq; excelsa moliri, & in magnis atq; honestis rebus semper versari, omniaquè ad laudem ac dignitatem referre, ut ita summæ virtutis admirationem obtineres & ab omnibus, qui te noverant, hominibus, talis ac tantus haberére, cui maxima munera, maxima Reipublicæ negotia ex æquo possent demandari, salusq; ejus tutò committi. Animum tu præprimis gerebas semper, ut ad omnia summa factum, & summîs omnibûs majorem, ita nulla ambitione tumentem; omnia quidem infra se sita esse autumantem, non contemnentem tamen; copiam rerum sibi quidem præstò esse cernentem; at iis, illas opes Aristippi, quæ nobiscum etiam è naufragio enatare possent, longè anteponentem; nullasq; præstantiores divitias quàm illas, in quas, nec fortuna nec mors ipsa potestatis quidquam habeat, quæ & in hac vita summum decus adferant, & post mortem famam immortalem præstant, arbitrantem; illudq; cum Solone dicere solitum: *at nos non commutabimus virtute divitias*: suppetere sibi, quidquid sensum voluptatis ac oblectationem explere posset non ignorantem, ast ab omni eo, quod cum honestate virtuteq; non consentiret, maximopere abhorrentem; longèq; magis turpe sibi putantem, vitiis animum contaminari, quàm

corpus vestibûs sordidîs indutum, deformatum facie, squallore obsitum, confectum fame in oculis aliorum apparere: ideò se in editiore loco luceq; majori constituum arbitrantem, ut virtus sua latiùs se diffundere atq; ab omnibus perspici possit luculentiùs,ideo se majorem esse quasi planetam, ut magis benigna luce cunctos impertiret, magisq; cunctis prodesset. Tum te demum claritate Majorum posse gloriari, cùm eorum facta fueris imitatus. Hinc tibi omnis vita non in temeritate sed in modestia ac verecundia, non in licentia sed in reverentia, non in puerilibus ludis sed in liberalibus disciplinis. Quodq; Cato Censorius, in diligentia Praeceptoris optimi Chilonis parum sibi conquiescendum ratus, fecit, cum Filium ipse literis instituit, ipse eum leges Romanas cognoscere, jaculari, & arma tractare, Historiam Romanorum memoriâ tenere edocuit; id tu ipse tibi cumulatè praestitisti, & quorum initia ab educatione accepisti, ea usu, atq; exercitatione continuâ, familiaria tibi reddere studuisti. Quid enim? an de civili aliquid jure tuam fugit conscientiam? an cognitio rerum naturalium eruditionem tuam non commendat? nôsti tu res singulas definire, genera dispertire, perfecta concludere, vera & falsa disjungere: nosti eleganter dicere, vim atq; svavitatem in dicendo conjungere: monumenta tu veterum atq; omnem antiquitatem sedulò pervestigâsti, tu omnia, quae de Patriis rebus sunt perscripta, diligenter evolvisti, accuratè condidicisti: tu Musarum domos ingressus, omnia illic excussisti, lucra inde ingentia reportâsti, utq; alia non commemorem, Pòeticam svavitatem liberaliter adeò degustâsti, ut confectâ

nuper

nuper Elegiâ, quâ mortem Reginæ nostræ optimæ complorabas, Phæbo musisq; singulariter te amari testatum feceris. Quid verò quàm sis in dispensandis atq; aggrediendis rebus prudens atq; maturus, quam in agendo fortis ac svavis, quàm cautus ac severus judex verborum in loquendo, quàm in conversando cum majestate jucundus, quàm carus omnibus, quàm omnibus honoratus? nihil tu majori cum licentia dicere, neminem supercilio elatô aspernari. tu colere pietatem, religionem observare, amicitiam persequi, divinis rebus constantèr pieq; inhærere, tu honestatem, tu virtutem summô studiô in omnibus spectare, tu majores revereri, consiliis eorum modestè acquiescere, in conviviis rebusq; relaxando animo accomodatis ad decentiam omnia exigere, ita te providè cautèquè ac si inter gravissimos senes Romanos te undequaq; circumstantes, ac si inter severos censores in te aciem oculorum intendentes consideres, te gerere; semper quid quo loco ac tempore proferendum esset, quid singulare, quid eruditum, quid ad rem accomodatum, quid te dignum dicendum aut faciendum esset, cogitare: tu continenti labore florentem ætatem tuam (quod Solon suos docebat) nutrire, nunquam ab opere cessare, jam honestis studiis operam dare, pulchra atq; utilia legere, scribere talia, quæ ingenium ac eruditionem commendarent mirificè, in Geographia, Historia, Philosophia, Geometria, in dicendi arte jam soluta jam numerîs astricta, jam in sermone Patrio, jam Latino, jam Gallico atq; Italico versari assiduè, jam exercitatione militari vires exercere, bellorum simulacra, tum in pulvere instituere, tum in

 char-

charta, artem modumq; quatiendi muros, arces oppugnandi, invadendi castra, aciem instruendi, manus cum hoste conserendi, conferendi signa signis, pila pilis opponendi, instantibus resistendi, persequendi fugientes, describere ac penicillo adumbrare; jam animi corporisq; relaxandi causâ, cubilia ferarum intrepidè involare, si fugiant, in eas equô citatô invehi; retia tendere, si incautæ morentur: omniaq; talia agere, quæ eum, qui & nobilì locô natus esset, summè decerent, &, qui Reipublicæ curandæ natum se crederet, ac ad ejus commoda procuranda totum se fingeret, omniaq; sua referret, maximopere commendarent. Et verò quàm pulchrum erga Patriam studium, quàm egregiam ad eam protegendam navitatem atq; prudentiam, quàm fæcunda femina lætas olim segetes editura in STANISLAO Grodna vidisti, cùm à Chelmensi terra summo omnium consensu ad comitia mitteretur. Quis tum de te, STANISLAE, omnium sensus extitit? Quanta tuî imago omnium oculis se objecit? Licurgum omnes, omnes sibi Catonem proponerent, sed RZEVUSCIUM satis erat cogitare. At si quis, AUGUSTUS certè Rex noster optimus atq; felicissimus, cui nihil prius aut antiquius est, ac in merita singulorum solerter inquirere, eaq; dignîs præmiîs remunerari; virtutem tuam singularem, ad magnas res tractandas vim atq; alacritatem mirificam tanti æstimavit, ut te Chelmensis terræ Præfectum magno assensu renuntiârit, in exercitu ad legionum regimen generale designarit, majora atq; altiora, cùm commodum foret, tibi munera delaturus. Et certè nihil est tam altum ac eminens, quod non tibi Rex

ac Reſpublica ſponderet, quod non tuæ virtuti ex æquo competeret. Si namq; nos tantum & ſpatii & copiæ ad dicendum haberemus, quantum voluptatis ac admirationis eo tempore, quo hîc Neſviſii es commoratus, ex tua incredibili in omni agendi ratione excellentia cepimus, & ad eam nobis identidem commemorandam alacritatis ſentimus; cùm te profectò demonſtraremus, in quo & divina quædam vis ardorq; ad omne honeſtum inflammatus luculenter elucet, & labor atq; contentio ſedula in magnis rebus aſſiduè perſequendis, nunquam te ſegnem torpere, aut otiô ſinit conſeneſcere; ut inde rectè de te judicare liceat: te magna omnia, & arduô atq; excelsô locô poſita eſſe, non ignorare, & ad ea ſtudiô nonniſi atq; labore perveniri poſſe, exploratum habere. Cùmq; præclara multa STANISLAUS noſter monimenta hîc reliquiſſet, quibûs incredibilem ſui amorem ac venerationem, pro ea, quam de illo concepiſſent, opinione, apud omnes promeruit; tum hoc præcipuè ad ſummam ejus laudem ac ſingularem commendationem ſpectare videtur, quòd eam ſibi Virginem matrimoniô jungendam decreverit, cum qua nullas vel paucas admodùm conferri poſſe non obſcurè perſpiciebat. Quod ut obtineret, laborandum illi hac in re haud multùm ſanè fuit, ut enim ille in hanc nonniſi Virginem ſtudia ſua convertit, in qua ſumma omnia florere cernebat; ita hæc Virginum prudentiſſima atq; lectiſſima ita in eo omnia eminere conſiderabat, ita æſtimabat omnia, ut ſi nubendum ſibi eſſet. RZEVUSCIO non niſi nubendum cenſeret, ſibiq; honeſtiſſimum duceret. Qua tamen in re, ea, utriq;

res omnes suas moderari consveverunt, usi sunt moderatione, nihil ut suô arbitriô decernendum sibi putarent, sed Parentum starent voluntate. Tum verò Parentes ita utrinq; conspirârunt, ita in conjunctionem prolis suæ consenserunt, ut si à Diis immortalibus tam huic quàm illi parti conjugii eligendi optio concessa fuisset, utraq; nec meliorem nec se digniorem partem eligere potuisset. Et sane si rem diligentiùs consideremus, divinô non nisi consiliô id esse peractum deprehendemus. Erant multi qui CAROLINÆ nuptias, omnibûs quibûs poterant modis, certatim expeterent. Parens ipse Celsissimus mandatîs non illis quidem imperiosîs, sed svavîbus blandisq; verbîs impellere videbatur. Quamdiu mihi, inquiebat, filia nepotes negabis? quamdiu, dicebat Respublica, filios à te optimos expectabo? Ecquando tandem, famuli famulæq; vociferabantur, Dominam te venerari licebit? sine, reponebat CAROLINA, Parens dulcissime, tuo me adhuc subjectam esse imperio: sine Respublica, meæ me adhuc Virginitatis, cui immori vellem, honore perfrui: sinite famuli famulæq; dum non Domina imperiîs vos terreo, sed puella mitis atq; imbecilla in vestris recumbo manibus. Hæc quidem modestiæ, pudicitiæ, ac continentiæ singularis certissima erant indicia ac desideria flagrantissima. his tamen tecta Fortunæ aut potiùs DEI ipsius omnipotentis alta suberant consilia, quæ si alicui inspicere liceret, sic illa dicere viderentur: expectet dignum se RADIVILIA RZEVUSCIUM, dignã se RADIVILIAM expectet RZEVUSCIUS. hæc itaq; illi servabatur, crescebat ille huic. Ecce verò expectationẽ omnium eventu felicissimo impletam, gaudiîs

sum-

ſummis ſummâq; lætitiâ cumulatam. ut enim de conjugio veſtro fama percrebuit, quæ, Dii boni, omnes complevit lætitia! Lætari homines, tecta domuſq; exultare, fora plateæ RZEVUSCIUM ac RADIVILIAM ſonare! urbes voluptate liquidiſſima perfundi! Provinciæ gaudiis omnibûs incedere, feſtivîs plauſibûs omnia, omnia fauſtîs acclamationibûs fortunatiſſimos Sponſos CAROLINAM & STANISLAUM ingeminare, Regnum hoc univerſum Litvaniamq; fama de novis Sponſis pervadere, lætitia quoq, comes ei adeſſe, ac, quòcunq; illa, eò quoq: hæc penetrare. Quam quidem lætitiam late ubivis diſperſam auditione tam avidè omnes accepimus, quâm ipſi cumulatè eam in nobis ſenſimus. ſed parum eſt audîſſe, videre etiam licet. Videtis Sponſi ornatiſſimi quanta in animis omnium omnino hominum conjugium veſtrum gaudia concitavit. Quid enim iſta ſibi vult celebritas? quid tam frequens lectiſſimorum ex univerſa plane Republica hominum concurſus? Spectate omnes, ſingulos aſpicite: nonne iſta in ore feſtivitas, hilaritas in fronte, in oculis jucunditas perpetua, animum incredibilî gaudiô affectum luculenter teſtatur?

Quid ni verò lætitia inſolita corda animoſq; omnium inceſſerit? quidni omnes, quicunq; ut veros germanoſq; decet cives, publicis commodis ſunt addicti, maximopere exultarent? quidni gratularentur Patriæ? quidni vobis, geſtientibus animis adeſſent? quorum conjunctionem tanta, quod vidimus, publica conſequitur felicitas, conſequuntur ſumma commoda; cùm binæ domus tam potentes, Litvana altera, altera Polona ſecum conjunguntur, ſicq; communionem Gentis utriuſq; arctiſſimô aſtringunt vinculô, augent po-

tentiam, robur ejus tantîs confirmant præſidiis, quanta in duabus iſtis Familiis in unum convenientibus, eſſe poſita nemo non videt. Cùm, inquam, Ducis Litvanæ Militiæ Filia Filio Copiarum Poloniæ Ductoris, cùm RADIVILIA jungitur RZEVUSCIO: conſequuntur ſumma ornamenta; cùm in utroq; conjugum iſtorum, quos hodie dextras junxiſſe vehementèr lætamur, ſingularis virtus eluceat, laus omnis ſummaq; inſita ſit commendatio: duo, commoda nimirum atq; ornamenta integram cujuſcunquè Reipublicæ efficiunt felicitatem. Te jam DEUS Optime Maxime, qui ſapienter ac fortiter gubernas omnia, hominum res omnes diſpenſas, te omnes, quotquot Patriam amamus, eiquè tantam in conjugio iſto felicitatem eveniſſe gratulamur, quorum alios non ætas retardavit, non valetudo, non ſexus impedivit alios, ut ad commune gaudium convolare, ut Sponſos ornatiſſimos parvuli noſcere, oſtendere juvenes, ſenes mirari, omnes inſolitò ſpectaculò oculos, animos lætitiâ incredibili implere, ſtudioſè quærerent: Te, inquam, omnes ſummîs votîs obſecramus obteſtamurquè vehementer, ut felicitati huic perpetuitatem addere ne deneges; ut SPONSI LECTISSIMI & ſibi ad ſummam gloriam, & Patriæ ad maxima vivant ornamenta; ſibiquè non abſimiles paritèr ac Patriæ longè cariſſimos nepotes videre mereantur.